BSB Bayerische StaatsBibliothek

Münchener DigitalisierungsZentrum
Digitale Bibliothek

Rossi, Gian Vittorio

Iani Nicii Erithraei Pinacotheca Imaginvm, Illvstrivm, doctrinae vel ingenii laude, Virorvm, qui, auctore superstite, diem suum obierunt

Bd.: 2

Colon. Agrippinae//Köln// 1645

Biogr.c. 238-1/3
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10070617-7

Copyright

Das Copyright für alle Webdokumente, insbesondere für Bilder, liegt bei der Bayerischen Staatsbibliothek. Eine Folgeverwertung von Webdokumenten ist nur mit Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek bzw. des Autors möglich. Externe Links auf die Angebote sind ausdrücklich erwünscht. Eine unautorisierte Übernahme ganzer Seiten oder ganzer Beiträge oder Beitragsteile ist dagegen nicht zulässig. Für nicht-kommerzielle Ausbildungszwecke können einzelne Materialien kopiert werden, solange eindeutig die Urheberschaft der Autoren bzw. der Bayerischen Staatsbibliothek kenntlich gemacht wird.

Eine Verwertung von urheberrechtlich geschützten Beiträgen und Abbildungen der auf den Servern der Bayerischen Staatsbibliothek befindlichen Daten, insbesondere durch Vervielfältigung oder Verbreitung, ist ohne vorherige schriftliche Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek unzulässig und strafbar, soweit sich aus dem Urheberrechtsgesetz nichts anderes ergibt. Insbesondere ist eine Einspeicherung oder Verarbeitung in Datensystemen ohne Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek unzulässig.

The Bayerische Staatsbibliothek (BSB) owns the copyright for all web documents, in particular for all images. Any further use of the web documents is subject to the approval of the Bayerische Staatsbibliothek and/or the author. External links to the offer of the BSB are expressly welcome. However, it is illegal to copy whole pages or complete articles or parts of articles without prior authorisation. Some individual materials may be copied for non-commercial educational purposes, provided that the authorship of the author(s) or of the Bayerische Staatsbibliothek is indicated unambiguously.

Unless provided otherwise by the copyright law, it is illegal and may be prosecuted as a punishable offence to use copyrighted articles and representations of the data stored on the servers of the Bayerische Staatsbibliothek, in particular by copying or disseminating them, without the prior written approval of the Bayerische Staatsbibliothek. It is in particular illegal to store or process any data in data systems without the approval of the Bayerische Staatsbibliothek.

10070617

IANI NICII
ERYTHRÆI

PINACOTHECA ALTERA

IMAGINVM,

Illuſtrium, doctrinæ vel ingenii laude, virorum,

qui, auctore ſuperſtite, diem ſuum obierunt.



COLONIÆ VBIORVM,
Apud IODOCVM KALCOVIVM
& ſocios. CIↃ IↃC XLV.

10070617

Pinacotheca hæc altera lucem aſpiciat itidem, & lectori utilitatem voluptatemque adferat. Coloniæ, Aprili CIↃIↃCXLV.

Henricus Francken Sierſtorpffius, SS. Theol. Doctor, Metropolitanæ Colon. Preſbyter Canonicus, Gymnaſii Laurent. Regens; librorum Cenſor.

IO. BAPTISTÆ GRA-
TIOLIO RINALDINIO

IANVS NICIVS ERYTHRÆVS

S. P. D.

SVperioribus annis, quod non te fugit, cum mihi essent domi complures clarorum virorum imagines à me quoquo modo descriptæ, qui meæ ætate, cum aliqua doctrinæ vel ingenii laude, è vita migrarunt, à multis, qui cupidi erant eas videndi, sæpe rogabar, ut spectatum ipsos admitterem. Quamobrem, ut omnibus satisfacerem, Pinacothecam quasi quandam, in qua omnes illæ imagines exponerentur, institui. Sed ea fuit angustior, quam ut cunctas posset excipere. nam plures reliquæ hominum quorundem erant, quæ illorum commemoratione, & formarum animi cognitione, delectationem afferre non minimam possent. Itaque à multis, & in primis à te, cohortatus sum, ut eas, perinde ac superiores, eorum, qui videre vellent oculis

animoque ſubjicerem. Parui, obtemperavi; tibique, cui, ob tua ſingularia in me beneficia, nihil denegare audeo, dicto audiens fui; atque Pinacothecam alteram, in qua eas collocarem, exſtruxi. Neque mihi fuit magnopere quærendum, cujus eam nomini inſcriptam, jis, qui tanquam ingredi in eam vellent, aperirem. Nam tu ſtatim occurriſti, qui ejus condendæ, tam ſæpe auctor, impulſor, adjutorque fuiſti. Sed, cujuſnam tutius eam fidei cuſtodiæque mandarem, quam illius, qui faceret eam plurimi? Tu enim, (niſi ſit magis benevolentiæ, quam judicii, teſtimonium,) ſoles mearum rerum omnium pretia nimis exaggerare, quæque ego nihili facio, in cælum efferre. Quamobrem cum ſæpe fiat, ut, quo aliquid carius æſtimetur, eo etiam diligentius aſſervetur; quem patronum, præter te, adſcribere illi alium potui? Ac poteſt etiam contingere, ut, te conciliatore, & indicatore, idem apud multos pretium, quo à te æſtimatur, inveniat; qui, quemadmodum in omni reliqua vita, ita etiam ingenio judicioque exculti ſſimus, omnium, qui te norunt, conſenſu, exiſtimaris. Nam primum, in ampliſſima

ma civitate, nobili genere natus, omnibus, à puero, dignis homine nobili artibus ac disciplinis eruditus, ita in hac luce orbis terrarum, Romæ videlicet, in re opulenta ac lauta vivis, ut nemo propemodum, te melius & honestius, divitiis uti videatur. Domus ampla, pretiosa supellex; ita tamen, ut non domus domino, sed dominus domui sit ornamento: circumpedes plures, varia ac decora veste induti; cubicularii, corporis forma cultuque præstantes; mensa liberalis ac splendida; rheda magnifica; equi, rhedæ magnificentiæ pares. Sed, his omnibus in rebus, ea à te cautio adhibetur, ut ne sumtus, rei familiaris modum excedat; neque committis, id quod pleraque pars hominum facit, qui splendidum vitæ consectantur genus, ut ii, quibus à te aliquid debetur, usque à mane ad vesperum, flagitatores astent ad ostium, assidui atque molesti, suum repetentes; sed statim argentum, quibus debes, resolvis. Verum, hæc exteriora & corporis. Illa autem interiora & animi. primum, mens, in rebus arduis, multoque magis in rebus ad voluntatem fluentibus, æquabilis ac recta. quippe, ut ait ille, secundæ res, sa-

pientum animos fatigant. Nam, cum apud magnos Principes plurimum auctoritate & gratia valeres, nemo te intolerantius jactantem, nemo æquabilitatem communis juris, magnitudine gratiæ atque potentiæ, transeuntem, aspexit; immo, quidquid poteras, quidquid magno tuo labore, magnisque periculis, tibi pepereras, non tam ad tuum commodum, quam ad aliorum utilitatem & fructum, conferebas. Id quod tibi principium maximæ calamitatis fuit: cum nimirum pessime relata est gratia ab eo, quem inopem, & alienæ opis indigentem, perfeceras, ut ad opes divitiasque perveniret. In eos enim, per illum, calamitatum fluctus conjectus es, qui sine lacrimis commemorari non possunt. Tu vero, qua magnitudine animi, qua constantia, utpote qui omnia in te posita esse duceres, multitudinem illam malorum sustinuisti! quam tibi non alia culpa, nisi tua nimia in alios humanitas benignitasque conflaverat; carceres, exilia, fugam, rei familiaris damna, aliaque incommoda, quæ non est enumerare necesse, tibi præsertim, qui, cum fuerint gravia, aspera, ac difficilia perpessu, semper ea memineris. Quid

dicam

dicam de literarum ſtudiis, quæ, ab ineunte adoleſcentia, à te, primum exculta, tum, maximis aulæ occupationibus, longo intervallo intermiſſa, deinde, poſt graviſſimum tuum caſum, revocata ſunt? Quos & quantos in illis progreſſus feciſti! primum, in jure civili; cujus docendi interpretandique facultatem, in Gymnaſio Romano, tibi delatam, accepiſti: tum, in humanioribus literis, quibus præſertim ſtudium tuum dediſti. Quis enim eſt orator, hiſtoricus, poëta, qui Latine loquatur, quem tu non legeris, penituſque cognoveris, de quo non docte ſcienterque loquaris, & judices, ut etiam eorum non neminem, ex Latino, in Etruſcum ſermonem, lepide eleganterque converteris? neque eorundem lectione ſtudioque unquam expleris, ſed totum illud tempus, quod tibi ab officiis, & negotiis domeſticis, ſupereſt, non aleæ aut levioribus aliis occupationibus tribuis, ſed in hac liberaliſſima honeſtiſſimaque animi remiſſione conſumis, teque inde ad amicorum, tui ſimilium, conſuetudinem tranſfers, eiſque plurimum tuæ ſuavitatis impertis. Nam ſemper comis, ſemper commodus, omnem humanitatem, hila-

ritatem, ac venuſtatem exerces. Huic igitur patrono, tam erudito, tam eleganti, tam nobili, non putem Pinacothecam meam ita poſſe committi, ut plurimum ab eo ſplendoris & æſtimationis accipiat? Quamobrem, ad tua alia in me beneficia, hoc etiam adde, ut tua eam cuſtodia tuearis, ac munias; neque grave videatur tibi, vel non ferendum, quo tempore me oporteret, de referenda tuis maximis in me meritis gratia, cogitare, tunc poſcere ut novo me beneficio cumules, atque augeas. Vale. Romæ, Kalend. Ianuar.
CIↃIↃCXLV.

IANI NICII ERYTHRÆI PINACOTHECA ALTERA.

1. GREGORIVS DE VALENTIA.

QVoniam ſuperior Pinacotheca fuit anguſtior, quam ut tot clarorũ hominum imagines, quos, vivis nobis, vita defecit, capere poſſet; ideo fuit neceſſe, alteram illi proximam addere, in qua eorum, qui prætermiſſi fuiſſent, depictæ noſtra oratione, quaſi coloribus, formæ proponerentur. Verum, quoniam in ædificiis novis, ad voluptatem amœnitatemque excitandis, præſertim requiritur, ut ſint illuſtria, ac ſpeculo ipſo clariora, quo ſigna, aut tabulæ pictæ, ſi quæ ibi locentur, in bono lumine collocatæ, gratiores jucundioreſque ſpectantium veniant ad oculos; ideo data eſt opera à me, tum ut totum hoc ædificium luculentum eſſet, tum, ut ejus in primis aditus veſtibulumque clariori luce eniteret. Sed unde poteram majus illi lumen arceſſere, quam ab eo, cujus nomen, non ſolum Societati Ieſu, in qua numerabatur, ob ſingularem doctrinam, præſantemque rerum maximarum ſcientiam, ornamento eſt, verum etiam, ſolis inſtar, orbem omnium terrarum, ſua luce, luſtrat ac complet? Hic eſt Gregorius de Valentia; qui, ortus Metimnæ, quod eſt opidum provinciæ Caſtellæ, in Hiſpania, plus patriæ reddidit, quam ab illa accepit; jamque Metimna Gregorio, quam Gregorius Metimna, apud omnes eſt notior. Huic, ab adoleſcentia, non pecunia, non voluptas, non ambitio, quæ, quaſi materies omnium malorum, mortalium pleroſque ſubvertunt, grata fuere; ſed, Dei metus, mores optimi, literarum ſtudia,

longe potiora extiterunt; in eiſque juventutem, ac reliquas vitæ ſuæ partes, exercuit. Quibus in ſtudiis quo, rerum humanarum omnium curis omiſſis, totum ſe collocaret, Societati Ieſu nomen dedit. in qua, dici vix poteſt, quantum in omnibus iis virtutibus brevi excelluerit, quibus perfecti religioſi forma continetur: neque minores in liberalibus diſciplinis profectus fecit; in iis præſertim, quæ in acri ac vehementi rerum ſubtiliſſimarum inveſtigatione meditationeque verſantur, quibus ſtudium ſuum dederat. Quamobrem celeriter eſt adeptus, ut nemo illi, ingenii acumine, intelligendi præſtantia, diſſerendi ſubtilitate, anteire putaretur. At, cujuſmodi eſſet hominum de illius excellentia judicium, illud in primis oſtendit, quod, cum nondum ſacris initiatus eſſet, cum vix ex ſtudiorum curriculo pedem extuliſſet, inventus eſt ceteris aptior, qui in Germaniam mitteretur, ut Dilingæ, in Gymnaſio, ab Othone Card. Auguſtano, cujus ditioni oppidum illud ſuberat, fundato, ſacram Theologiam doceret. Non fefellit hominum de ſe expectationem, ſed ſuperavit. nam incredibile eſt memoratu, quantam ſibi, optimi præſtantiſſimique Theologi, quantam, ſingularis eruditionis, famam confecerit. Quæ fama, unius civitatis terminis non contenta, quaſi extra ripas diffluens amnis, longe lateque ſeſe diffudit, ac Germaniam primum, tum Europam univerſam, excurrens, omnium virorum Principum animos, omnium Academiarum ſtudia commovit. unuſquiſque enim vir princeps, unuſquiſque locus, ubi literarum domicilium eſſet, inflammato ſtudio, tantum ſibi doctorem expetebat, à quo, in ipſorum Gymnaſiis, juventus, ad omnem divinarum humanarumque rerum ſcientiam, inſtitueretur. Sed vicit tandem, eximium Gulielmi V, Bavarorum Ducis invictiſſimi, ſtudium; cui, ad Ingolſtadienſis Gymnaſii ornamentum ac decus illum depoſcenti, non potuit obſiſti. At, quænam tanta eſt vis ingenii, quæ tanta orationis ubertas, quæ honores ſummique ſignificationes officii, à præſtantiſſimo illo omnium fere ſuæ ætatis Principe, Gregorio exhibitas, poſſit explicare dicendo? Non enim, ſapientiſſimum illum Ducem fugiebat, quantum ornamenti ac nominis,

Gy-

Gymnaſio illi, tam eximii in omnium doctrinarum genere hominis adventu, quæreretur, qui præſertim, doctiſſimis ſuis diſputationibus, infeſtiſſimus hæreticarum partium hoſtis haberetur. Quemnam enim, ad incredibilem admirationem non efferret illa ejus, de omni re, quæcunque in diſceptationem quæſtionemque vocaretur, copioſa ac ſapiens oratio? quis in illo ejuſdem, in argumentando, & argumentis reſpondendo, acumine ac promta ſubtilitate non exhorreſceret? quis, non ſtupefactus, hominem, de rebus horridis nitide, de obſcuris perſpicue, de jejunis copioſe loquentem, intueretur? quis altiſſimis defixam radicibus, ac firmiter hærentem, vim varietatemque doctrinæ, non ſummis in cælum laudibus efferret? Quid verbis opus eſt? ſi quæ ab eo reſponſa darentur, iis, non ut ab homine acceptis, ſed ut à Deo cælitus immiſſis, honor habebatur. Neque in oppugnandis hæreticorum caſtris, aut in eorum conatibus repellendis, tum publicis diſputationibus, tum libris editis, ſe ipſo inventus eſt minor. nemo enim hærericus cum illo congreſſus eſt, quin ab eo certamine, aut ipſius argumentorum quaſi telis confoſſus, aut ſua ipſius confeſſione victus ſuperatuſque, diſceſſerit. At, quænam tanta vis eſſet, quæ rationum, quæ ab ipſo afferebantur, firmitatem ſoliditatemque infringere ac labefactare conaretur? Quid mirum, ſi, communi omnium voce, eodem, quo D. olim Auguſtinus, Mallei hæreticorum, decoraretur elogio? Circumferuntur, in unum collecta volumen, variis temporibus variiſque de cauſis pugnata, cum hæreticis certamina, hoc titulo inſcriptum, *De rebus fidei, hoc tempore controverſis. libri, qui hactenus extant, omnes, & alii, nondum antea editi, ad Sereniſſimum Bavariæ utriuſque Ducem Gulielmum V.* Reliquit etiam, ad D. Thomæ Aquinatis ſummam, commentarios, quatuor voluminibus explicatos; quibus, incredibili ſubtilitate, brevitate, ac perſpicuitate, quæcunque ad ſacram Theologiam pertinent, traduntur, exponuntur, firmantur. qui commentarii, à cupidis, ejus facultatis, vehementiſſimo ſtudio poſtulati, ac tandem in lucem editi, cum ob ingentem emtorum numerum, quem invenerant, exempla eorum omnia fuiſſent diſtracta, neceſſe

ceſſe fuit eas iterum ac ſæpius prælo committere. Quamobrem unus ex bibliopolis Vrbis, cum, die quodam, ante tabernam ſuam, prætereuntem Gregorium aſpexiſſet, Hic, inquit, eſt ille, qui ſuis libris, ſæpius impreſſis, bibliopolas plures, magnas ad divitias opeſque perduxit. Nihil illi facilius fuerat, quam ſuos hos commentarios, longiſſimis diſputationibus, acutiſſimiſque meditationibus, quemadmodum à pluribus præſtanti ingenio ac doctrina viris factitatum eſſe videmus, auctiores ac locupletiores efficere; quod ea omnia, longo ſtudio diligentiaque collecta atque diſpoſita, in ſua literaria ſupellectile numerarentur: ſed, dedita opera id à ſe prætermiſſum ajebat, quod ſpes ſibi eſſet, fore, ut melius de ſacræ Theologiæ ſtudioſis mereretur, ſi omnia rerum capita, quæ in ea facultate continentur, ex immenſo prope ſpacio, in exiguum ſane gyrum compellerentur, ac brevi, facili, perſpicuaque via ac methodo traderentur. Id quod eſt egregie ab ipſo perfectum. Quæ res, magni argumenti loco eſſe debet, ſummam illum atque perfectam ejus ſcientiæ notitiam egregiè animo comprehenſam habuiſſe. Per annos ſedecim Gregorius Ingolſtadienſe oppidum Gymnaſiumque, doctrinæ ſuæ lumine, apud omnes gentes nobile atque illuſtre reddiderat: ſed, utpote optime de hominibus illis meritus, octo alios annos ſuperioribus addidit; quos ibidem, à maximis glorioſiſſimiſque laboribus feriatus, exegit: cum interea ſummis eſſet viris honori, literatis venerationi, hoſtibus catholicæ fidei terrori atque formidini. Verum, non ſolum oportebat, ſed neceſſe erat, ut tam clarum ſidus non uni tantum eidemque remotiſſimæ orbis terrę parti luceret, ſed in Vrbem, omnium terrarum arcem, tranſlatum, radios inde ſuos latius longiuſque diffunderet. Romam enim evocandi cauſa fuit inopinatus & immaturus P. Mutii de Angelis, ſummi Theologiæ doctoris, interitus, in cujus locum alter erat ſubrogandus. De quo Mutio nihil dicam amplius, niſi illud Angeli in eo cognomen apte dignoque in loco fuiſſe collocatum; tum, ob inſignem ingenii celeritatem perſpicacitatemque, tum etiam, ob ſuaviſſimos mitiſſimoſque ejus mores, nulla amaritudinis labe conſperſos. Sed quid mirum

rum eſt, tantam in eo vim ſuavitatis fuiſſe, cum fel, amaritudinis receptaculum, in ejus, poſt mortem infecti, extis, non apparuerit? Quæ res, prodigio ſimilis, poëticæ facultatis in Collegio Rom. ſtudioſis materiam attulit, qua, vario carminum genere, argute eleganterque, in ejus pene prodigioſam lenitudinem animi, luderent. At Gregorius, ubi Romam attigit, quæ Vrbs, futura erat theatrum illius ingenii, & voce erudita dignum, ſimul auditus & probatus eſt, ac ſingularis propemodum doctor exiſtimatus. Sed vix Theologiæ docendæ munus exequi cœperat, cum traditam ſibi præfecti ſtudiorum provinciam accepit, ſummaque eorum cum laude adminiſtravit, qui dabant operam literis, quique, in eo ſtudiorum, quibus ille præerat, genere, principes habebantur. Sed nulla adhuc illi, Clementi VIII, qui tum Petri cathedram obtinebat, ejuſdemq; aulæ, facultas obtigerat declarandi, quis eſſet, quantumque ingenio ac doctrina valeret; cum fuit ante ipſum Pont. graviſſimis acutiſſimiſque diſputationibus, P. Ludovici Molinæ ſuſcipienda defenſio, de eo, quod attinet ad ſocietatem conſenſionemque divinæ gratiæ cum libero hominis arbitrio. Quæ controverſia quia illuſtre ejus nomen reddidit, eumque in maxima apud omnes exiſtimatione & gratia poſuit, cogeret me, ut quædam, quæ in ea cauſa ventilanda excutiendaque contigerunt, paucis exponerem, niſi & loci, ubi diſputatum fuit, reverentia, & negotii ipſius indoles tenerrima, mihi ſilentium inponeret. Accedit, quod ſummus Pontifex graviſſimo edicto caverit, ne quidquam eorum, quæ tunc gerebantur illic, vulgaretur. Vnde ergo ſolidi quid conſtaret mihi, quem nec ſuſpicione nec incerto partis alterius relatu niti oportet? Hoc interim notum omnibus eſt, quod Clemens Pont. cum ſumma ipſius, erga Gregorium, voluntatis ſignificatione, eos illi honores habuerit, qui vix præſtari cuipiam ſolent; ut menſe Martio, in ea diſputatione quæ ceteris finem attulit, cum Gregorius ita vehementer ex ſtomacho laboraret ut ſtare non poſſet, atq; Pont. ejus eſſet audiendi in primis cupidus, ſedentem, diſputationi operam dare permiſerit. In quo ille declarare viſus eſt, quanti hominem faceret, cui id conceſſerit,

rit, quod ipsis etiam Episcopis denegatur. Interea, cum morbus illi fieret amplior, adeo, ut medicamentorum vi aliqua reprimi vincique non posset, de medicorum sententia experiri placuit, num Neapolitani situs amœnitas, ac saluberrimi suavitas aëris, aliquam laboranti opem afferret, & amissam valetudinem recuperaret. Nulla vox est, quæ honores, atque omnia officiorum genera, ab humanissima illa civitate, ac præsertim à primis ejus proceribus, in illum exhibita, possit exprimere. nam, quidquid dixerit, minus erit. Dabat operam unusquisque, ut tantum virum, tantorumque meritorum fama notissimum, morbi injuria afflictum, sublevaret, & in veterem amissæ valetudinis locum revocaret. Sed frustra hæc ab illis opera suscepta est. nam, cum jam morbus ita invaluisset, ut ejus viribus obsisti non posset, coactus est Gregorius illi cedere. Itaque, multis editis pietatis egregiæ signis, magno bonorum literatorumque omnium cum luctu, in villa Tiberii Caraffæ, Bisiniani Principis, diem obiit supremum, annos natus quatuor supra quinquaginta. At, simulac Ingolstadium fuit de Gregorii morte allatum, in qua ille urbe tot annos, tanta cum gloria, vixerat, Gymnasium *illud*, deberi à se tanto hominis ingenio ac virtuti existimavit, ut elogium, quod subjicitur, marmoreis incidendum tabulis locaret, quod esset & perpetui sui erga illum animi testimonium, & vivam illius apud posteros memoriam conservaret, atque immortalem, si fas esset, efficeret.

Gregorius de Valentia, Metimnensis, Hispanus, Sacræ Theologiæ Doctor, inter Theologos sui temporis nulli secundus, Parisiis vehementer expetitus, à Stephano, Poloniæ Rege, diu postulatus, præclarum hujus Academiæ decus, in qua annos XXIV *commoratus, cum Sac. Theologiam, sexdecim annis continuis, magno auditorum plausu & fructu, fœcundissimaque eruditionis propagatione, docuisset, atque interim, in omni controversiarum genere, contra hæreticos quam multos, compluribus libris editis, nunquam non victor, egregie dimicasset, universamque Scholasticam Theologiam, quatuor*

tuor Commentariorum tomis, commemorabili opere illustrasset, immortalem nominis gloriam adeptus, anno CIↃIↃXCVIII, *superiorum suorum voluntate, Romam advocatus est, cum illic, partim Sac. Theologiæ Professor, partim supremus in Collegio Soc. Iesu studiorum moderator, aliquando clarissimus vixisset, demum, assiduis laboribus fractus, & inveterata aegritudine consumtus Neapoli, quo, valetudinis causa, ager concesserat, è vivis, semper victurus, excessit,* XXV *Aprilis, anno* CIↃIↃCIII, *ætatis* LIV.

II. IO. BAPTISTA STROZZA.

SI quisquam Reip. in qua natus est, utilem operam præstitisse perhibetur, in his non postremum obtinet locum Io. Baptista Strozza Florentinus. Nam, dum vixit, assiduam dedit operam, quod in ipso fuit, ut magno civibus suis usui esset. Atque, si melius de Rep. mereri dicendi sunt ii, qui probos illi cives, atque, optimis moratos moribus, præstant, quam qui urbes, sua pecunia, mœnibus cingunt, ædificiis exornant, opibus augent, quanam alia in re Io. Baptista studium suum posuit, nisi ut civium suorum animis, detractis vitiis, virtutes insereret? In quo magnam meruisse laudem existimatur. ac merito. nam, ut urbium incolæ, opibus ac divitiis abundent, ut ædificiis amplis & illustribus habitent, ut pulcre muniti sint muris, si tamen in illis avaritia, luxuria, scelus, perfidia, & inscitia versetur, divitiæ sunt civibus suis oneri atque miseriæ, quod sint fomenta vitiorum; tum, elegans urbis species dedecori, quod honestius corpora, quam animi, habitare dicantur; munitionum moles nulli fere usui, quod, nisi vitia ab oppidis exulent, centuplex murus rebus servandis sit parum. Summa igitur cum laude, omnes ille ætatis industriæque suæ nervos in eo contendit, ut patria iis rebus pollens existeret, quibus veræ Rerump. fortunæ continentur. Etenim præclara adolescentium ingenia, quæ natura, ad omnes egregias artes, tanquam inchoaverat atque dolaverat, excipiebat, ut expoliret atque perficeret,

ret. Erat ille Philoſophicis ac Theologicis doctrinis inſtructus, Græcis ac Latinis literis doctus, poëticæ facultatis ita peritus, ut non cum æqualibus ſuis ſolum, ſed cum majoribus etiam natu poëtis, compararetur. Has ille diſciplinas, in inſtituendo docendoque prudentiſſimus, juventutem edocebat, & quotidianis, domi ſuæ, diſputationibus exercebat, ac ſæpius, quod umbratili illa inſtitutione didicerat, in pulverem & ſolem cogebat educere. cujus rei magnam illi facultatem dabat inſignis academia, quæ ſuis in ædibus, magno literatorum omnium, qui eſſent Florentiæ, concurſu, celebrabatur. Quæ vero ingenia, fortunæ culpa, ne emergerent, oppreſſa cernebat, ſuis ipſe opibus ac facultatibus, quibus erat affluens, ſublevabat; libros, veſtem, cibos, habitationem, omniaque ad neceſſarium uſum illis præbendo. Vtinam eorum non nemo, ſi non rem, parem tamen voluntatem ac ſtudium, eidem emetitus eſſet, neque odium pro amore, injuriam pro beneficio, rependiſſet. Erat oculis, pituita è capite defluente, captus; quæ calamitas multos ejus familiæ viros invaſit; ſed ingenii acie perſpicaci, judicii acumine acerrimo. Mortuus in patria, triſte omnibus ſui deſiderium reliquit. ſed ejus obitus iis luctuoſus fuit in primis, qui multum ingenio, parum verò à fortunæ muneribus inſtructi, ducem, magiſtrum, patronum, ac regem, ſibi ereptum eſſe, querebantur.

III. IVLIVS ROSCIVS HORTINVS.

HOrti, urbs, nulli earum, quæ in Faliſcis numeratur, antiquitate ac nobilitate inferior, Phœbi Muſarumque deliciæ, fere ſemper præclara hominum ingenia, ad omnia elegantiſſimarum artium ſtudia, & ad poëſin in primis apta, produxit; quæ, tanquam flores eximii, odore & amœnitate, non uni tantum civitati, ſed omnibus, apud quos Græcæ Romanæque literæ vigent, eſſent voluptati, admirationi, ac laudi. Mitto eos, quos Philoſophiæ ac Iuriſprudentiæ laus nobilitavit, ex iis, qui, cum aliarum etiam laudandarum facultatum glo-

ria

ria florerent, poëſin etiam ſunt amplexi. Ita Horti Iulio Roſcio, nobili apud ſuos genere nato, delectantur, ut non alio magis cive & alumno glorientur, neque magis ſe jactent. Hic admirabili quodam naturæ ipſius habitu, ac prope divino, præditus, cum eximiam hanc illuſtremque naturam ad omnium rerum magnarum atque artium ſcientiam contuliſſet, quid mirum, ſi orator, ſi poëta, omni laude cumulatus, extiterit? Etenim, niſi oratorum ac poëtarum, ex rerum cognitione, efflorescat ac redundet oratio, tanquam caſſa nuce inanior, negligatur ac repudietur neceſſe eſt. Itaque tanta vis ingenii, ab omnibus, qui tunc temporis magnum in literatis viris nomen habebant, primum cognita, (non enim inſignis flammæ cujuſpiam ſplendor latere diutius poteſt, quin ſuo ſe lumine prodat,) tum adamata, deinde expetita, poſtremo exculta omni officiorum genere eſt; ſed in primis, ab Aldo Manutio, arctiſſimo ſibi amicitiæ vinculo conſtricta. ac ita illum placuiſſe Manutio, tantum in ejus laudibus pondus mea ſententia habet, propemodum ut ceteris anteponendum eſſe videatur. niſi enim ſumma ac prope ſingularis, in ejus ingenio atque doctrina, vis boni fuiſſet, nunquam ita à tali viro coli diligique potuiſſet, ut vix quidquam in amore fuerit ardentius. cujus viri eruditio, à majoribus ipſi ſuis quadam quaſi hereditate relicta, ita deinde, perpetuo labore ſtudioque, ſuis eſt opibus aucta, ut parenti etiam ipſi Paulo, quo tum in his literis humaniſſimis nil habebat orbis terræ præſtantius, eſſet admirabilis. Quanta autem inter Aldum & Iulium neceſſitas amicitiæq; uſus interceſſerit, declarant epiſtolæ, quæ extant impreſſæ, & eruditorum manibus teruntur, tum Manutii ad ipſum, tum ipſius ad Manutium, ſcriptæ. Sed, quid tam eorum, qui ſe literis abdiderunt, oſtendit induſtriam, quam quæ potuerunt ad communem afferre fructum, atque in conſpectum lucemque proferre? Sunt in medio complures ejus orationes, ab ipſo editæ, in quibus & orationis copia, & ſententiarum gravitas, & elegans verborum comprehenſio, atque artifex etiam ſtylus, appareret. Summa omnium cum voluptate leguntur epigrammata, elegiæ, odæ, & ſacrorum carminum liber: quæ

omnia admirabilem ejuſdem ad poëſin indolem, ac divinum illum ſpiritum, quo poëtæ dicuntur afflari, mire teſtantur. exſtant elogia militaria, tanta cum fide, induſtria, ac ſermonis majeſtate conſcripta, ut ejus ingenii magnitudinem, candorem animi, ac magnificum orationis genus, ante oculos ponant. Attigit etiam Remp. ac, pluribus & maximis muneribus functus, in gravi atque difficili provinciæ cujuſdam adminiſtratione, vitam reliquit.

IV. FRANCISCVS BALDVCCIVS.

FRanciſcus Balduccius, Panormitanus, Siculus, fuit ingenio magno; quippe qui, naturæ bono, ſine multis literis, quibus vix tinctus erat, eo mihi perveniſſe videtur, quo alii ejuſdem ætatis, omnibus liberalibus diſciplinis inſtructi, Græcis ac Latinis literis docti, multo præterea labore multaque induſtria, adſpirare non potuerunt; non quia illis ingenium, ſed poëticum ingenium defuerit. Erat illi genus dicendi elegans, ſublime, magnificum, ſucci plenum, perſpicuum, dilucidum; ſententiæ graves, concinnæ, acutæ, venuſtæ. Dictitabant, veniſſe eum Romam, quod non liceret illi eſſe in patria, eo quod hominem occidiſſet, & mulierculam ſecum adduxiſſe, ex qua liberos, tum virilis tum fœminei ſexus, ſuſceperat. Extat in ſuis carminibus oda, qua filiolam, Clementia nomine, quæ infans in cunis exceſſerat, Etruſcis elegantiſſimis verſibus deflet. Sed mas, inopia cogente, ſe inſinuaverat in domum meritricis cujuſdam locupletis ac nobilis, ex qua pauculos interdum nummos, ſtipis gratia, referebat. at, cum die quodam, ab ea ære gravior domum ſe recepiſſet, Balduccius, extemporaneo carmine, manum, quæ tam large munera præbuiſſet, in cælum extulit, illudque per eundem puerum ad meritricem miſit. Aderat ibi forte, vir doctus, poëta ſummus, amiciſſimus meus, qui aliquot ante annos eſt mortuus: huic meritrix carmen legendum dedit. quod ſimul ac legit, admiratus eſt divitem hominis pauperculi venam. Florebat, per id tempus, Romæ, Academia Humoriſtarum, magnoque erat apud omnes gentes

tes honore ac nomine. in hanc Balduccius ab Henrico Falconio, acerrimo optimorum ingeniorum æſtimatore, introductus eſt: in qua, ſimul auditus, & probatus eſt. Cœpit tum, viros nobiles ac divites, ſuis carminibus, ſpe mercedis ac præmii, laudare. nec ſua ſpes illum fefellit. nam à pluribus magnam interdum vim auri & argenti capiebat; qua facile inopiam tolerare potuiſſet, ſi nummis uti ſciviſſet, neque homo, ſuavia in præſentia quæ eſſent, prima ducens, neque parum conſulens in longitudiuem, totum, quod eſſet datum, ſtatim diſſipaſſet. Quamobrem, cum, præter poëticam facultatem, qua nemo unquam factus eſt dives, nullum aliud eſſet illi artificium, quo ſe tueretur, niſi librarii ars, quam aliquandiu exercuit; cogebatur, mutuam ab amicis pecuniam, quam nunquam redderet, petere. atque ipſi etiam creditores ita dabant, ut qui ſe nunquam quidquam ab eo recuperaturos exiſtimarent. ſed, cum ſæpius eundem piſcis ad hamum recurreret, neque mutuitandi finem faceret, eorum non nemo, Ecquando, ajebat, explebeˉris? modo tibi dono dedi, decem videlicet aureos nummos, & nunc alios decem petitum advenis. Cui ille, iracundia, ſupra quam dici poteſt, elatus, reſpondebat, Quid ſomnias de pecuniis, à te mihi dono datis? egone tuis nummis egeo? ac mox potero te pecunia obruere, mox tibi auri argentique fiſcos ob os objicere, ſi expectandi copia erit. Sed, cum inanis ſemper incederet, nec dicta ſonarent, cogebatur, niſi inedia confici mallet, invocatus, amicorum menſas obire; quamquam ſatis ſua ſponte alienis eſcis ſtudebat. Ac tandem invenerat tonſorem quendam, qui, ſive miſericordia motus, ſive animi magnitudine ductus, cum mane tum veſpere communicabat eum menſa ſua. Verum ille, ut erat plane contumax gloriarumque pleniſſimus, illum ſibi cibum non gratis præberi, ſed tanquam debitum, ac longe infra meritum ſuum, perſolvi, exiſtimabat: adeo ut, die quodam, cum magna eſſet piſcium caritas in macello, piſciculos minutulos aliquot in prandium coëmeret. Tum Balduccius, tanquam ſi inſigni aliqua injuria affectus eſſet, minaci ore, irata voce, ardentibus oculis, Itane, inquit, accipis poetarum hujus ævi facile

principem? itane tibi dignus videor, quem illudas? tune hos mihi piſciculos auſus apponere, tanquam ſi eſſem homuncio unus de multis, ac non, inter omnes, plane ſingularis? vel hæc puls, quam inſulſa, quam contra animi mei ſententiam! at te decet facete animadvertere animum tuum ad animum meum, curamque adhibere, ut prævolet, quo ego velim. Ac multis præterea aliis gravioribus verbis hominem verberavit, tantum quod non fuſtem in manus ſumſit, domoque præcipitem illum ejecit. At touſor, qui multos jam menſes admirabili patientia toleraverat incredibilem hominis contumaciam, atque faſtidium, tandem victus, Itane, inquit, agis? Surgenſque, obtorto eum collo è menſa ſuripuit, atque extruſit hominem foras. qui, ut erat mappa ad collum alligata, amenti ſimilis, per viam excurrens, exclamabat, Veſtram opem, populares; hic Buſiris, hic Lycaon, violavit hoſpitium, violavit hoſpitium. Locavit deinde operas ſuas, in ſcribendis epiſtolis, Io. Antonio Vrſino, S. Gemini Duci. cui cum ejus oratio nimis putida, nec, quæ ſatis eos deceret ad quos ſcribebatur, videretur, ad manum eum potius quam ab epiſtolis habuit. Illud vero homini iracundo, & magna ſui ipſius opinione inflato, quaſdam quaſi faces admovebat, quod Dux, ad corrigenda atque emendanda ipſius carmina, cocum accerſiri juberet, qui, domi ſuæ, univerſæ familiæ, cœnas & prandia coqueret. ferebat enim indigne, ſua ſcripta, quæ ceteris anteferebat, in coci exiſtimantis arbitrium vocari. itaque ſe domo illa, quantum poteſt, eripuit. Neque ita multos poſt annos, exceptus eſt domo, à Duce Brachiani; verum, ob morum importunitatem, quibus ferri tolerarique non poterat, coactus eſt brevi, alium dominum, alios Lares, aliam urbem, aliam civitatem exquirere. At Neapoli, ubi principi cuidam viro in ſervitutẽ ſe dicaverat, cujus uxore mulier alia nulla erat pulcrior, duo contigerunt. primum, per viam publicam iter facienti, neſcio quid ſuperne è feneſtris dejectum, in oculos incidit, quod ſtatim ab eis lumen exulare coëgit; quamvis illud redux factum ſit poſtea, egregia medici cujuſdam excellentis opera. deinde, captus amore dominæ, eo inſaniæ evaſit, ut,

ut, cum æger in lecto decumberet, in culcita, ita ut erat linteis involutus, eo deferri ſe juſſerit, qua erat mulieri tranſeundum: quam ut venientem aſpexit, cœpit clamare, ut ſibi, ex amore ipſius laboranti, ſuppetias ferret, neque ſe tam miſera affici ærumna ſineret. Ac non poteſt ſatis narrari, quam lepidos de ſe ludos jucundoſque præbuerit. Reverſus Romam, cum non eſſet unde viveret, cogebatur quotidianum victum à caupone, credita pecunia, coëmere. ſed cum ſolvendo non eſſet, nec quidquam cauponi præter verba præberet, judicis decreto ſibi addictum, à lictoribus in carcerem rapi curabat. ſed, celeriter aderat vir aliquis dives, qui percontatus, quanti eſſet addictus, tantundem pro illo ſolvebat. Quod ſæpenumero erat faciendum: nam identidem ad eoſdem inopiæ fluctus revolvebatur; quibus fluctibus ut ſe eriperet, & tanquam ad littus ſcapham adverteret, ſæpius ab eiſdem abreptus eſt, & tanquam in profundum abſtractus; hoc eſt, nihil propius eſt factum, quam ut ille, dum ſe ab inopia ſtudet eximere, ſub fuſte vitam finiret. Venerat Romam à Cæſare ad Vrbanum VIII miſſus orator, ita dives, ut Picos divitiis ſuperare diceretur. in hunc, ſolito ſuo aucupio, Balduccius carmen ſcripſit, illudque, in membrana elegantibus ſane literis exſcriptum, & coriaceo tegmine, multo auro interlito, ſeptum, illi tradidit. ac primum orator ita delectatus eſt munere, ut juſſerit, trecentos poëtæ, à quo ornabatur, nummos aureos numerari. ſed, cum poſtea legiſſet, ſcriptum in eo, ſe, oratorem, à Cæſare, ad præſtandam Vrbano obedientiam miſſum, iratus, revocavit decretum de trecentis aureis nummis, ac pro illis trecentas plagas eidem infligi mandavit. nam Cæſares, non obedientiam, ſed cultum & honorem, Rom. Pontificibus à ſe deferri debere contendunt: qua de re, per eos dies, tantis viribus tantiſque contentionibus actum fuerat, ut nihil magis. neque tantulum moræ interceſſiſſet, quin imperata perficerentur, niſi orator à quibuſdam bonis viris fuiſſet inhibitus, qui perſancte affirmabant, id ab homine imperito, non aſtu neque dolo, ſed inſcitia vel incuria, fuiſſe admiſſum. Neque mentiebantur, in defendendo: nam quibuſdam in rebus, non

plus erat illi cordis, quam lapidi. Fuerat, hyeme quadam, à viro principe, tunica ſerica pingui,& malaco calido pallio Hiſpano, ne algeret, donatus; ſed poſtea æſtate urgente, cum ſub illis veſtibus ſudaret, nec leviores haberet, forte tranſiit per forum Hebræorum; quorum fere ſinguli, ut illorum mos eſt, cæperunt hominem ad ſe attrahere, ac dicere, veſtes, quibus uteretur, eſſe graviores, quam ut anni tempus fervidiſſimum poſceret; ſe alias illi, magis ad id tempus accommodatas, exhibituros. homo, qui interdum non plus ſaperet, quam ſus occiſa, hereditatem ſibi obveniſſe arbitratus eſt, ac ſe totum nebulonibus illis permiſit, veſteſque detritas ac pene laceras, iis, quas habebat, longe optimis mutavit: ac poſtea, ut quemque amicum offenderat, Hebræorum in ſe caritatem ac benevolentiam commemorabat, ex ſemine Abrahæ prognatos eſſe, qui ita hoſpitalis fuiſſet, aſſerebat, ac, poſthac pueris ſe inimicum futurum, qui eos lapidibus inſectarentur, ajebat. At cuculus non intelligebat, veſtes, quas dimiſerat, longe pluris eſſe, quam eas, quas ſuſcepiſſet, & à vafris illis ſibi manum aditam fuiſſe. Voluit poſtremo ſacris initiari, ut, re divina facienda, tantum lucraretur, quantum eſſet ad ſuſtentandam vitam ſatis. ac primum, Xenodochio S. Xiſti navavit operam cappellanus; tum Paulo Sfortiæ gratus ſuit, ac demum Principi Gallicani acceptus; cujus domi cum in morbum incidiſſet, ac Principis illius munificentia, omnibus in rebus, liberaliſſime tractaretur, maluit ad noſocomium Baſilicæ Lateranenſis; quo æger ſæpe confugerat, deferri, ubi, paucos poſt dies, vi morbi ſublatus interiit. Reliquit volumen egregium, carminum Lyricorum; quod opus multas ſuperſtes ætates erit, nec una cum auctore, ut in pleriſque uſu venit, mortem obibit. Neq; id non intellexit ille. nam, quoties amicula cum eo altercabatur, quo illam ex fera manſuetam faceret, Vide, ajebat; ſi pergis odioſa eſſe, ego tibi immortalitatem adimam, quam parere meis verſibus poſſum.

V. MARIVS ALTERIVS.

QVemadmodum à vicinis malis boni nihil expectari poteſt, unde verbum illud vetus, *Aliquid mali eſſe propter vicinum malum*; ita etiam, à vicinis bonis, multarum ſæpe utilitatum fructus emanant. Familia Alteria eſt cum primis Romæ vetus ac nobilis; nam & platea, celeberrima parte Vrbis, jam pridem Alteria vocatur, multoſque domi militiæque claros viros Reip. genuit; ac noſtra memoria quatuor præſtanti pietate fratres, ex optimo patre, edidit, Marium, Rutilium, Laurentium, & Horatium, non tam in ſinu parentum, quam in diſciplina patrum Soc. Ieſu educatos, ex vicinitate domus profeſſæ Soc. Ieſu, illorum ædibus proxima. quæ Societas florebat, ut cum maxime, illuſtribus doctrina & ſanctitate viris; & in his, generis auctore, Ignatio, tum cum iſti puerili eſſent ætate; e quibus haurire Chriſtianæ vitæ præcepta poterant, quæ ipſis in omni ætate uſui eſſent. tum, templi vicinitate, excitabantur ad frequentem Pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramentorum uſum, & ad conciones audiendas; quæ ab optimis ſapientiſſimiſque Patribus habebantur, quibus nondum conſilium erat, ea, quæ dicebantur, inanibus verborum coloribus pingere, nec venuſtarum magis quam utilium ſententiarum floſculis ſpargere, (etenim, haud ita multo ante, nonnullos, qui ab ipſit prodierunt, æſtus conſuetudinis hujuſce abſorbuit, & ad ſermonis morem ornati abſtraxit;) ſed eorum omnis vehemens, incitata, plena ſanctimoniæ & gravitatis, erat oratio, quæque nervorum vel plurimum, ſuavitatis autem vel minimum haberet. At, ex quatuor his fratribus, Rutilius, omnibus iis diſciplinis inſtructus, quibus ætas puerilis informari ad humanitatem ſolet, ad percipiendum jus civile ſe contulit, atque ex clariſſimorum, per id tempus, legum doctorum ſcholis egreſſus, ac dignus habitus, cui juris utriuſque interpretandi facultas tribueretur, primum civibus ſuis, in dubiis ipſorum rebus, à ſe conſilium expetentibus, ingenii, prudentiæ, & eruditionis ſuæ lumen exhibuit. tum, quod I. C. honorificum eſt

maxime, cooptatus eſt in collegium ſacræ conſiſtorialis aulæ Advocatorum, idemque electus, qui, ingenii legumque præſidio, pauperum innocentiam, ab iniquorum calumniis judiciorumque pœna, defenderet. In quo præſertim munere, ad extremum uſque vitæ ſpiritum, non ſine magna caritatis laude, verſatus eſt. Tanta enim vi, eorum, quibus egeſtas imperabat, patrocinium acceperat, ut pro cujuſque illorum ſalute non minus laboraret, quam ſi arcta ſibi eſſet cognatione propinquus. Cujus tam inſignem in pauperes miſericordiam, tum ille, quo mortuus eſt, annus declaraſſe videtur. annus enim CIↃ IↃL vitæ illi initium fecit, annus vero CIↃIↃC vitæ ejuſdem exitum attulit; qui omnes piaculares anni fuerunt. ut quodammodo divini numinis providentia factum fuiſſe videatur, ut eum, qui futurus eſſet ex miſericordia in pauperes clarus ac nobilis, eo tempore & naſci & mori contingeret, quo tempore divinæ in omnes homines miſericordiæ lumen clarius eluceſceret. At Horatius & Laurentius, pari probitatis innocentiæque laude poſteris commendati traduntur; uterque omnes populi magiſtratus obtinuit, ſummaque cum prudentia atque juſtitia adminiſtravit; uterque ædilis, uterque conſul ſæpius fuit. Sed Laurentius in primis, plures, ex uxore quam duxerat, ſanctiſſima ac præſtantiſſima fœmina, liberos ſuſcepit: qui ad unum omnes, ad majorum inſtituta, atque civitatis diſciplinam, inſtituti eruditique, magno Reip. uſui fuerunt. de quibus ſigillatim dicere non eſt neceſſe; unuſquiſque enim longam orationem deſiderat. ſed ſilentio præteriri non poteſt Io. Baptiſta, S. R. E. Cardinalis, & Epiſcopus Tudertinus; de quo nihil aliud dicam, niſi quod communis bonorum omnium opinio prædicat; nempe, non illum ſemper in hoc eodem dignitatis gradu, in quo nunc eſt, permanſurum, ſed proceſſurum, honoribus, longius. Verum, ut tandem ad Marium, à quo latius, quam voluntas fuerat, evagata eſt, deducatur oratio; fuit ille quidem omnibus fere iis laudibus ornatus, quibus reliqui fratres; ſed ad eas divinarum rerum ſcientiam (fuit enim Theologus) ac ſummum honorum contemtum adjunxit. nam cum, ob inſignem probitatem atque doctrinam, locupletes

pletes ipſi Epiſcopatus ultro deferrentur, nunquam animum induxit, illorum quenquam accipere: ac propemodum unus, ex omnibus, intelligens, quanto ſatius ſit, onus omnium maximum faſtidire, quam illi cervices ſubjicere, nunquam paſſus eſt ſibi perſuaderi, ut in illud faſtigium ſe reciperet, ſed, homo natura mitiſſimus ac quietiſſimus, contentus canonicatu, quem in Æde principis Apoſtolorum obtinuerat, ſumma animi tranquillitate, in literarum ſtudiis ævum agitabat. quorum ſtudiorum fructus non avare intra ſe continebat; ſed cum aliis etiam large liberaliterque communicabat; cum canonicatui illi, quo fungebatur, id etiam oneris eſſet adjunctum, ut moralem Theologiam Parochis traderet, qui eccleſiaſticæ, ejus Baſilicæ, ditioni ſubjiciuntur. quo munere functus eſt egregie; neque ſolum doctrinæ ſuæ fontes in eos, qui præſentes eſſent, atque ab ejus ore pendebant, aperuit, ſed, poſteritati etiam conſulens, in eos, qui futuri eſſent, effudit. nam librum de Cenſuris, in primis utilem ac doctum, emiſit.

VI. FRANCISCVS VENTVRA.

SI Principibus probis, doctis, atque ſapientibus, placuiſſe, in minima laude ponendum non eſt, cur non hoc præſertim nomine celebretur Franciſcus Ventura Florentinus, cujus ingenio, eruditione, ac moribus, delectabatur in primis Scipio Cardinalis S. Suſannæ, qui ſummæ ſapientiæ doctrinæque opinione, quam de ſe conceperat, fretus, faſtidiebat & contemnebat omnes, in quibus mediocris earum doctrinarum facultas ineſſet, in quibus ſe principem ac ceteris ſuperiorem eſſe opinabatur. Multum igitur ingenii, eruditionis, doctrinæ, omniumque bonarum artium, in Franciſco extitiſſe oportet, qui tantopere homini ſapienti probatus ſit. Sed, quod ad elegantes has literas attinet, omnis ejus facultas perſpici poteſt ex vita S. Andreæ Corſini, quam Latino ſermone ſcriptam emiſit. Quamobrem merito Card. illi fuit eximius, cui omne illud erat odioſum ac putidum, quod non eſſet in ſuo genere ſummum atque perfectum. A quo etiam, domi ſuæ, in ſuorum familia-

rium numero habitus eſt-, educatus , & quibuſcunque honoribus poſſet , ornatus. Nam primum , perfecit , ut in Referendariorum ordinem cooptaretur, tum,ut S.Severi Epiſcopus fieret. Creditur , illius opera Cardinalis uſus , in conſtitutione illa literis mandanda, qua Gregorius xv, Pont. Max. Patrum Ampliſſimorum Collegio, eligendi Rom. Pontificis leges & jura præſcribit. Epiſcopatus autem honorem , ita ſibi creditum & commiſſum accepit, ut ſe omnium officiorum obſtringi religione arbitraretur. itaque in eo adminiſtrando, non nomen amicitiæ, non alterius cujuſvis neceſſitudinis vinculum, non hominum potentiorum gratia, non utilitatis privatæ ratio, plus apud eum valuit , quam mos majorum , quam leges , quam veritas , ac ratio , atque , ut eſſet ſui juris & mancipii Eccleſia , cui non nemo conabatur libertatem eripere. Non dubitavit igitur hominum potentiſſimorum inimicitias ſuſcipere , multorum in ſe odia convertere , laboris plurimum capere , vitæ pericula, pro ſuarum ovium incolumitate, tanquam paſtor bonus , adire. nam nefarios juris Eccleſiæ prædones , cum , ſæpius admoniti, non reſipiſcerent, palam ſacrificiis interdixit , ſtatuitque , ut numero ſceleratorum atque impiorum haberentur,neq; quiſquam aliquid cum iis ſermonis conferret , vel negocii contraheret , niſi ex eorum contagione infici , atque in ejuſdem execrationis laqueos vellent incidere. Quo tempore , mira quædam & horribilia divinæ animadverſionis exempla edita ſunt, in improbos & contumaces : nam , cum nulla eos ſceleris, quod patrarant, pœnitentia ſubiret, nec darent operam , ut ab eo , qui ipſos devoviſſet , reſacrarentur , atque ex devotis eximerentur , factum eſt , ut tanti repente terræ motus exiſterent,ut oppidum corrueret, multis ejus agri locis labes facta ſit , terra deſederit , & tanquam apertis faucibus , villas , homines , greges, & armenta,in ſe ingurgitaret,& in ventrem abderet,ipſe vero Epiſcopus , tanquam Lot alter , vix vivus evaderet. Venit igitur Romam , amiſſis rebus omnibus , ubi cum, afflictis ſuis rebus ac perditis , auxilii nihil inveniret , Florentiam, hoc eſt, in patriam , ad ſuos, petitum auxilium , ſe contulit. neque piiſſimus ille Princeps , de ſpe

ſua

ſua decipi paſſus eſt eum. nam, cum per eos dies, Archidiaconus, Deiparæ Virginis Deſlore, exceſſiſſet è vita, in ejus locum illum ſubrogavit; ut tantiſper, dum cujuſpiam Epiſcopatus occaſio ſe daret, ejus fructibus vitam ſuſtentaret. Sed hominem antea ad ſe cœlum arripuit, quam aliqua ejus rei ſeſe offerret occaſio. Verum magnus Etruriæ Dux, ut propenſam ſuam erga Franciſcum voluntatem oſtenderet, in ejus demortui locum, fratrem ſubrogavit.

VII. IO. BAPTISTA RAIMVNDVS.

CVm doctus ac peringenioſus vir aliquis properat, quæ olim recte cogitaverit inveneritque, literis conſignata, omnium ſeculorum poſteritati mandare; quidnam aliud ſtudet, niſi ea omnium, quot ſunt quotque futuri ſunt, hominum arbitrio judicioque ſubjicere? Quæ judicia hominum cum ſint varia, incerta, ac ſæpenumero abſurda atque iniqua, ut apparet in iis, qui, canino dente, divina Ciceronis Virgiliique, ingenii monumenta lacerare ſunt auſi; inventi ſunt plures, qui maluerint, nihil omnino ſcripti relinquere, quam aliis invidiæ ac maledicentiæ exercendæ facultatem ac materiem dare; tum, arbitrati ſunt, ſe ſatis magnam adeptos eſſe ingenii gloriam, eamque etiam majorem, ut inquit Cicero, viſum iri, ſi in exiſtimantium arbitrium ſua ſcripta non veniſſent. Atque, ex eorum numero, qui memoriam in poſterum ingenii ſui non deſiderarunt, fuit Io. Baptiſta Raimundus. Erat in hoc homine ingenium peracre, acutum, amœnum, urbanum, facetumque; magnum in primis ſtudium linguarum, pene omnium. nam literis Græcis, Latinis, Chaldaicis, Arabicis, multiſque præterea aliis, egregie doctus, multos in ſui admirationem & amorem attraxerat. in his Cynthium Card. Aldobrandinum, Clementis VIII, Pontificis Max. ſororis filium. qui, non uſitato à reliquis viris principibus more, quotquot erant in Vrbe, atque etiam foris, præſtantes ingenio & eruditione viri, domum ſuam invitabat,

in

in clientelam recipiebat, quibus poterat rebus ornabat. Hic igitur Cynthius Io. Baptiſtam, quoad vixit, in ſuorum familiarium numero habuit, dilexit; eique quotidianis ſumtibus ſuppeditando, ne quid deeſſet, curabat. Cardinali mortuo, quandam in domum ſe contulit, eamque uſque ad vitæ exitum habuit, amœno ſane ac remoto ab arbitris loco, non procul à porta Collina; ubi ſe literis abdidit. atque etiam erat fama, chymicæ eum arti nonnihil operæ ſtudiique tribuere: quod arbitror fuiſſe cauſæ, cur non multum reliquerit. nam qui ſunt ejuſmodi, parum heredem adjuvant. Sed quoniam, ut diximus, plurimum in eo erat leporis ac facetiarum, in apologis inveniendis ſcribendiſque non minimum operæ ſolitus erat ponere, quorum quaſi involucris & integumentis aliquid contineretur, quod poſtea philoſophica interpretatione, ex illis integumentis evolutum, non minimæ, vitæ hominum, utilitati atque uſui eſſet. Quos deinde apologos cum doctis & eruditis viris, amicis ſuis, communicabat. Quorum unus Iulio Antonio Rodulphio pene exitium ac peſtem capitis attulit. Apologus autem, ſicut ab ipſo Iulio Antonio audivi, hic erat. Fumus, ventus, ac Dæmon, olim inter ſe fœdus ſocietatemque coierant; ac ſimul ſigna quædam dederant, quibus, ſi diſperſos errare contingeret, nullo fere negocio invenirentur. atque, Ego, inquit fumus, in vaporariis, ex quibus ignis erumpit, adero: Me autem, ait ventus, è rimulis oſtiorum flantem, invenietis: Ego vero, ſubdidit Dæmon, nuſquam niſi in gibbum gibberi, ſedem ac domicilium meum collocatum habebo. Quam fabulam cum Iulius vetulæ cuidam famulæ ſuæ narraſſet, quæ hoc corporis vitio laborabat, Ergo, inquit, Dæmonem incluſum in ſcapulis gero? Quid ni? reſpondit Iulius, ſi gibbera es? Tum illa, furore percita, haſtili, quod ibi erat, arrepto, ibat, ut eum medium tranſverberaret; neque, quod conata erat, non perfeciſſet, niſi ille ictum, celeri ac docta corporis declinatione, vitaſſet. at, ſi ferrum eo, quo illud vis inimica direxerat, pervenire potuiſſet, nulla eſt tam diſerta docti cujuſquam oratio, quæ poſſit explicare verbis damnum, quod Græcæ Romanæque literæ, talis viri interitu, feciſſent.

ciſſent. Qui vir qualis ſit & quantus, quamvis ex ſcriptis cognoſci ipſe ſuis poteſt, quæ ſcripta, eruditiorum manibus contrita, non plus redolent doctrinæ, quam ſuavitatis; adeo ut non quiſquam ab eis faſtidio ac ſatietate abalienetur: quamvis, inquam, ſatis ſuo ſit ipſe ingenio clarus, tamen deberi hoc à me tanti hominis virtutibus putavi, ut aliquas ex eis breviter ac ſtrictim attingam. Nulla eſt in arte, earum quibus liberales doctrinæ continentur, quod ipſe neſciat; nullus eſt orator vel poëta Græcus, Latinus, Italus, quem non penitus ille cognoverit; nullus eſt de Theologia vel Philoſophia liber, quem non attente diligenterque percurrerit, de quo ſcienter prudenterque non judicaverit; nullum ſapiens cujuſquam dictum vel factum audivit aut legit, quod memoria ſeptum cuſtoditumque non teneat; unde eorum unumquodque, cum opus eſt, tanquam ex penu, depromit; nulla quæſtio, nulla dubitatio, in immenſis illis D. Thomæ Aquinatis voluminibus continetur, de qua, ex tempore, & ad cujuſvis arbitrium, non poſſit longas diſputationes intexere. Græce autem ſic loquitur, ut Athenas ipſas ejus ſermo redolere videatur; quem ſi vetula illa poſſet audire, cui Theophraſtus hoſpitis ſpeciem viſus eſt habere, nullam illi peregrinitatem objiceret. ita ejus eſt oratio pura, ſuavis, atque Athenarum urbis propria. Quam ſuavitatem in illam ſuam Tragicocomœdiam, quam Vlyſſis tubam inſcripſit, eſt transferre conatus. Quod illi contigit ex ſententia. Sed magnam ſummis illius virtutibus injuriam facere videor, dum eas ex latiſſimo, in quo vagantur, campo in exiguum ſane gyrum conor includere. Quamobrem, ſatius eſſe arbitror, tanquam Agamemnonis caput, involutas ſilentio relinquere, quam non ex vero eas exprimere. Sed ut ad Io. Baptiſtam, unde paululum digreſſa eſt, revertatur oratio; poſtquam multos in literarum ſtudiis annos expleſſet, tandem evocatus eſt eo, quo neceſſario eundum eſt omnibus. nec propterea noluit mors eum ad ſe recipere, quod literatus eſſet, ſed eodem, quo indoctos ac rudes, jure comprehendit; ac pejore etiam habuiſſet conditione, ſi à doctrina, quam profitebatur, mores diſcrepaſſent.

VIII. ATTILIVS AMALTHEVS.

HVic, ſi non divinarum humanarumq; rerum ſcientia, ſi non vita laudabiliter acta, ſi non mores ex vetere illa atque ſanctiſſima diſciplina, ſi directum illud ad virtutem iter, quod ſemper tenuit, non propriam ac peculiarem laudem, non æternam nominis famam confeciſſent, magno honori ac decori dandum exiſtimem, quod ab Amaltheorum familia genus & originem duxerit. Nam parentem habuit Hieronymum Amaltheum, Io. Baptiſtæ fratrem: quos, ex iis, qui, noſtra ac paulo ſuperiore ætatè, ad ſcribendos verſus ſe contulerunt, quibus & ſententiarum gravitate, verborum ſplendore, ſuavitate, elegantiaque cedere debeant, plane non video. Verum Attilius, hanc poëticæ facultatis laudem patri ac patruo remittens, eorum, qui ex eadem familia, gravioribus diſciplinis, quos enumerare non eſt neceſſe, floruerunt, æmulatus eſt gloriam; ac Iuri civili & Pontificio primum, tum ſacrarum literarum ſtudiis, egregiam operam dedit. Et, quamvis arcanum earum notarum, quibus aliud ſcribitur aliud intelligitur, ſibi commiſſum à ſummo Pont. eſſet, P. Mutio de Angelis, ac Gregorio de Valentia qui illi ſuſceſſerat, ita erat tamen deditus, ut in illis occupationibus, quemadmodum ipſe ſum teſtis, qui etiam tum adoleſcens ſummis illis doctoribus operam dabam, nullum fere diem, ab illis audiendis, intermitteret. totum ſe deinde Reip. tradens, cœptus eſt adhiberi ad referendas ſummo Pont. cauſas, ab eoque in illum ordinem cooptatus. poſt aliquot annos à Paulo v Athenarum Archiepiſcopus creatus, miſſus eſt Coloniam, Sedis Apoſtolicæ Nuncius. quam provinciam ita geſſit, ut ingenium agnoſcerent omnes, animi integritatem ſuſpicerent, abſtinentiam admiratione proſequerentur. Nullum beneficium, nullum decretum vendebat, gratis fere omnia dabat. nullum appetentis animi ſignum præbebat. Quamobrem eum omnes, tanquam à cælo delapſum, intuebantur. Incredibili erat erga pauperes beneficentia, & in eos præſertim, qui ex hæreticorum caſtris in noſtra præſidia confugiſſent, de qui-

quibus, in quadam ad Cardinalem Bellarminum epiſtola, à quo rogatus fuerat, ut cujuſpiam illorum neceſſitatibus ſubveniret, Si mihi, inquit, centum annua aureorum millia contingerent, nonaginta quinque, iſtorum uſibus aſſignarem. Romam reverſus, totum ſe Deo ac pietatis operibus tradidit, Sodalitatem B. V. Aſſumptæ, in Domo profeſſa Soc. Ieſu, frequentabat, Noſocomia adibat, ægrotantium cubilia circuibat, iiſque ſua manu lectos ſternebat, cibum præbebat, atque alia, quantumvis ſordida, pietatis officia præſtabat. in quibus operibus ſenex eſt mortuus, atque in Æde Nominis Ieſu ſepultura affectus.

IX. ALEXANDER CARD. VRSINVS.

SVnt quidam, quibus regalis purpuræ dignitas, ſplendoris ornamentique plurimum afferat; nempe ii, in quorum vita nihil invenias, quod multum reprehendas, nec quod magnopere laudes. Itaque iſti, quod celebrentur, quod niteant, non ſemper virtutis ſuæ merito, ſed fortunæ quaſi beneficio, debent. Sunt alii, qui plus ex dignitatibus dedecoris & damni, quam honoris & commodi contrahunt; quemadmodum ii, qui inſignis cujuſpiam vitii infamia notati, in editum atque illuſtrem aliquem dignitatis locum invaſerunt. Minus enim, ſermonibus hominum vituperationibuſque eſſent obnoxii, ſi vitia, quibus laborant, in privatæ vitæ tenebris jacerent, neque ea clariſſimi illius honoris lumen accenderet. Poſtremo, ſunt alii, qui multo plura ornamenta ac decora ad honores afferunt, quam ipſi ab iiſdem accipiant; videlicet illi, quos non ambitio, non hominum favor, non magnitudo pecuniæ, non vitiorum eorundem ſocietas & conjunctio, ſed multorum magnorumque in Remp. meritorum ratio, ac perfecta atque abſoluta virtutum omnium laus, ad culmen illud attraxit. Cui generi hominum tertio ſi aditus ſoli pateret ad honorum faſtigia, atque intercluſus ceteris eſſet, quænam eſſet ejus ordinis, in quem illi veniſſent, majeſtas! quod decus!

decus? qui ſplendor? quanta, ex eo, generi hominum, utilitas fructuſque manaret? Hæreticorum hominum factiones, quorum præſertim improbitas, ſtultitia, audacia, ex illius ordinis vitio, ubi incurrat in oculos, corroboratur ac nititur, dilaberentur atque diffluerent, malarum artium, quibus improbi ad honores nituntur, vaſtitas, pernicies, exitiumque contingeret; optimi in Repub. mores dominarentur, peſſimi exularent; ſemper uni cuipiam Reip. Chriſtianæ navis regendæ clavus illi committeretur, qui, non imperitia vel cupiditate aliqua adductus, eam in ſcopulos ac ſyrtes impelleret, ſed qui feliciter in portum adveheret, cui non bella, non odia, cordi eſſent, ſed inter Chriſtianos principes, pax, amor, atque concordia. Ad id exemplum, de quo loquimur, tres viri clariſſimi noſtra ætate extiterunt, ex quorum virtutum luminibus, maximus eſt Cardinalium Collegio ſplendor accerſitus. Primum, Alexander Vrſinus, Virgilii Ducis Brachiani filius, & Pauli Iordani nepos; qui eximie à Sfortia Pallavicino collaudatus eſt in dialogo quem ſcripſit de bono; ubi de hoc homine certamẽ fuiſſe narratur inter naturam, fortunam, atque virtutem, quænam illarum, pluribus eum ornamentis ac donis inſtrueret. nam, in ampliſſima civitate ſummo genere ortus, cognatione & affinitate ſummis etiam Regibus implicatus, maximis honoribus amplificatus, nihil fere eorum deſideravit, quæ à fortuna tribui ſolent. Tum, nactus eſt à natura ingenium perſpicax, acutum, docile, nobile, incredibilem morum ſuavitatem elegantiamque. nam liberalis, ſplendidus, & in omni vita victuque affabilis, tantaque oris atque orationis commendatione præditus, ut nemo eſſet, quem non ipſe in ſui amorem impelleret: præterea, memoria tanta, quantam in iis fuiſſe legimus, qui tanto hoc naturæ bono excelluiſſe narrantur; neque ea tantum, quæ ſignum eſt ingenii præcipuum, cujus eſt virtus, facile percipere & percepta fideliter continere, verum etiam ea, qua, præter ſententias rerum, verba etiam, quibus ſententiæ explicantur, defixa in animo atque inſculpta tenemus. Educatus eſt in domo Ferdinandi Medicei, Magni Ducis Etruriæ, avi ſui materni; ubi, quod habuit à natura boni, non ſolum

lum alere, verum augere etiam poſſet. nihil enim hauri-re, ab ea indole, poterat, niſi altum, regale, magnifi-cum. inde illa ejus, ſine moleſtia diligens affabilitas; qua, cum quadam celſitudine animi, ad aliorum con-dicionem, cum erat opus, ſe ſubmittebat: ut non alias magis videretur eſſe vir princeps, quam cum, ut ſe pa-rem infimis faceret, principis perſonam conaretur exue-re. Incredibili erat vigilantia, qua, ut matutinas ho-ras literis daret, multo ſurgebat maturius, quam ii, qui-bus opera vita erat. ut non, quemadmodum olim De-moſthenem, ipſum puderet, ſuam in ſurgendo celeri-tatem ab artificum ſolertia vinci; imino potius artifices ipſi pudore corripi poſſent, quod ipſorum ſolicitudo ac diligentia ab illius vigilantia ſuperaretur, cui, ob præ-ſtantiam dignitatis atque fortunæ, conceſſum eſſet, ut nitidius, quam ceteri, ſe curaret, ſomnumque ad mul-tam diem produceret. Scripſit, tum ſoluta oratione, tum verſibus, elegantiſſime nitidiſſimeque, adeo, ut odam ejus quandam Vrbanus VIII, qui ſummus ejus ge-neris carminum artifex erat, cum inſpexiſſet, non ſolum maximam illi laudem tribuerit, verum etiam, modula-tori in primis optimo, modos eidem faciendos manda-verit, ut in templis caneretur. erat autem, de Chriſti Domini cruciatibus & morte, ſcripta dulciſſime. quo-rum cruciatuum memoriam perpetuo in animo infixam habebat; ut etiam de eodem argumento, nocturnas diurnaſque quaſdam compoſuerit typiſque mandaverit horas, quas ipſe aliique, qui vellent, recitarent. præter-ea, è collo ad nudum pectus, Chriſti crucifixi imagi-nem, ex argento vel ære, ſibi demiſerat, hamis acubuſ-que acutis probe refertam; quam identidem pectori ad-ſtringebat, ut aliquam ex eo ſanguinis guttam eliceret. & uſque adeo pietatis Deoque placendi ſtudio flagrabat, ut tentaverit, è purpuræ celſitudine ad Soc. Ieſu humi-litatem demiſſionemque deſcendere. Sed ab hoc cona-tu depulſus eſt à ſummo Pont. cui non æquum viſum eſt, Patrum purpuratorum Senatum tanto ornamento ſpo-liari. Multa inchoata egregie, ſed nihil plane abſolu-tum, reliquit. quorum princeps illud erat opus, in quo præcepta ſapientis Regis expoſuit; ex quatuor illorum

Regum rebus geſtis excerpta, , qui primi Regnum Hieroſolymorum obtinuerunt; Saule, qui illud fundavit; Davide, qui ſtabilivit & auxit; Salomone, qui conſervavit; poſtremo Roboam, qui perdidit. Verum, ad has laudes illud vitium irrepſit, quo omnes fere principes viri laborant, ut ſemper eximium aliquem habeant, cui ipſi obediant. Nam juveni cuidam, qui ſibi erat à cubiculo, vehementer fuit addictus; cujus ſtudiis ut obſequeretur, multis illum aureorum millibus donaverat. Sed, quæ ejus erat in Deum pietas ac religio, cum, pœnis ultro ſuſceptis, in ſe nimium ſævus ac ferus extitiſſet, mortem, quæ longius aberat, accerſivit, ac maturius multo, quam per ætatem liceret, properare coëgit.

x. GVIDO BENTIVOLVS.

MAjus quoque decus ornamentumque ad purpuram attulit, quam ab eadem mutuatus ſit, Guido Bentivolus, Ferrarienſis. Nam in eo etiam natura, fortuna, ac virtus, fuiſſe videntur expertæ, quid poſſent efficere. Primum, id illi à natura genus obtigit, quod eſt, non ſolum in Italia, ubi radices poſitas habet, verum etiam toto orbe terrarum, ex hiſtoria notiſſimum. Parentes etiam ac majores ejuſmodi evenerunt, ut, ſi illi data eſſet optio, eos eligendi, neque meliores neque præſtantiores conſequi potuiſſet. Nam patrem habuit Cornelium Bentivolum; cujus opera Herculi & Alphonſo, Ferrariæ Ducibus, in conſiliis dandis, in Ferraria munienda, in militaribus ſpectaculis edendis, magni fuit: avum verò Ioannem eſt conſecutus; qui quamquam Remp. Bononienſem dominatu regio tenuerit, tamen, magnitudine animi, conſilii rerumque geſtarum gloria, nihil fuit illo excellentius. Ab hac igitur tam generòſa ſtirpe profectus Guido, ſtatim ab ineunte ætate dedit earum, quæ poſtea in ipſo extiterunt, non adumbrata ſed expreſſa ſigna virtutum. Non enim, tritas omnium fere adoleſcentium itineribus, fallaces ac lubricas ſecutus eſt vias, in quibus conſiſtere ſine caſu ac prolapſione non licet; ſed rectum illud ad virtutem iter tenuit, arduum, difficile, ſalebroſum, frondibus ſpiniſque obſitum. Itaque-

non

non ille amare, potare, animo obſequi, non aliquid temporis ad ludum ætatis, atque ad inanes adoleſcentiæ cupiditates & ſtudia, conferre, ſed totum ſe literis tradere; nullis uti hominibus, niſi literatis ac probis; nihil æque ſtudere, quam, prima illa initia ætatis integra atque inviolata præſtare. Quid mirum, ſi, ab his ſeminibus jactis, tam eximiæ in eo virtutes, firmata jam ætate, extiterint? Quibus tantum fretus, non autem pecunia, ut aliqui, qua inſcitiam & ignaviam ſuam tegunt, & bonorum præmia mercatum adveniunt, Romam ad Remp. capeſſendam acceſſit. Aſpexit indolem Clemens VIII, ac probavit; ac primum, honorarii cubicularii ſui eum loco ac numero habuit. tum, à Paulo V, in Referendariorum, quos vocant, ordinem adſcitum, aula, cui omnis exſuperantia virtutis ſuſpecta eſſe ſolet, iiſque eam, qui diverſa ad honores via nitantur, oppugnandam tradit, invidia longe ſuperiorem exiſtimavit, nullumque in ejus vita locum, quem ferire illa poſſet, apertum immunitumque patere, ſtatuit. Quamobrem, quas perperam ad eum inſectandum vires adhibuiſſet, ad eundem ornandum augendumque convertit: nec quodvis illi munus decrevit, ſed arduum graviſſimumque, Belgicam nimirum provinciam. Quam quemadmodum Sedis Apoſtolicæ Nuncius adminiſtraverit, multarum in ea maximarumque impreſſa virtutum veſtigia declarant. Nullam de ſe ibi luxuriæ atque libidinis ſuſpicioni locum aperuit, nullum avidi atque appetentis animi ſignum oſtendit; quo vitio nullum, in iis qui Remp. gerunt, eſt tetrius, nullumque quod acerbius hæreticorum in Catholicos odium ſtruat; ſed ſemper continens, laborioſus, liberalis, ſplendidus; nihil ad ſuam utilitatem, ſed omnia ad aliorum commoda, referens, miros, in eorum etiam animis, qui Catholicæ religioni bellum habent indictum, amores excitabat ſui. Cujus adminiſtrationem muneris arbitror fuiſſe cauſam, cur ille ad ſcribendam Belgicam hiſtoriam animum appulerit. quod opus, nihil habens ineptiarum, nihil ciucinnulis fucoque puerili conſperſum, ſed contra, gravitatis prudentiæque pleniſſimum, neminem eorum metuit, qui ſuperioribus omnibus ſeculis otium ſuum con-

ſumſerunt in hiſtoria. Verum, ita ille ſe in poteſtatibus gerebat, ut majore ſemper provincia dignus haberetur. Itaque, tranſactis jam in Belgio ſuis partibus, à Paulo V miſſus eſt ſtatim Nuncius in Galliam. ubi quemadmodum Sedis Apoſtolicæ negotia tractaverit, declaravit idemmet Pontifex, qui Cardinalem eum creavit antea quam è Gallia diſcederet: quemadmodum vero Regis, Reginæ, Regnique procerum ſibi amorem ac benevolentiam conciliaverit, perpetua illorum in eum voluntas oſtendit, qua non ſolum officiis beneficiiſque eum ſemper proſecuti ſunt omnibus, verum etiam vicarias Regni illius apud Romanum Pont. Protectoris partes agere voluerunt. In illo autem auguſtiſſimo orbis terræ ſenatu, in conſiliis de Rep. dandis, in ſenatoria ſententia dicenda, nihil erat illo prudentius, nihil gravius, nihil copioſius. Quod pondus in rebus! qui ſplendor in verbis! quæ venuſtas in geſtu! in officiis vero perſequendis quæ urbanitas! qui decor! quæ oris majeſtas! quanta ejus, ſine arrogantiæ ſuſpicione, in dictis auctoritas! quam accurata Etruſce loquendi ſcribendique, ac ſine moleſtia diligens, elegantia! quantus urbanitatis & facetiarum, intra viri principis gravitatem, non ſcurrilis lepos! ut nunquam ad Vrbanum VIII acceſſerit, quin ejus animum à mœrore ad hilaritatem lætitiamque traduxerit. quæ in eo mens, nihil niſi honeſtum, nihil niſi altum & magnum, excogitans! quæ morum ſuavitas, amœnitas, ſanctitas! Quæ mens ſpirare etiam videtur in epiſtolis, quas edidit, in eiſque rerum eccleſiaſticarum commentariis, quos, à Clementis VIII Pontificatu inchoatos, ad hæc uſque tempora perduxerat. Verum, tanta hominis virtus, tantum ingenium, tantum aulæ, vel potius orbis terræ, lumen, quo tempore æquum erat opibus affluere, & in ſumma rerum omnium abundatia vivere, caruit fere omnino rebus omnibus, non ſolum ad tuendum illum dignitatis locum, in quo ſua eum virtus collocaverat, verum etiam ad vitæ uſum neceſſariis. quamobrem, ne ære alieno trucidaretur, coactus eſt, ædes in Colle Quirinali ampliſſimas magnificentiſſimaſque, & hortos, illis adjunctos, inſcribere, & precium, quod coëgerat, creditoribus ſolvere, ac fidem

ſuam

ſuam liberare, atque inde in alias ædes, modica mercede conductas, ſeſe conferre, numerum aulicorum minuere, ſumtus, ad rei familiaris anguſtias modumque, contrahere. At, ejus hæc tam afflicta tamque proſtrata virtus, quæ aliis erat miſerabilis, rigidos eorum animos, ad ferendam illi opem, flectere non potuit, ex quorum ſuperfluis & extraordinariis divitiis redundabat in alios, neſcio equidem an dignos. At ille, qui totus erat aptus ex ſeſe, atque in ſola virtute beatam vitam poſitam eſſe ſtatuerat, æquiſſimo hæc animo omnia ferebat, nec quidquam, à generis ſui nobilitate & à ſapientis dignitate alienum, admiſit. Interea Vrbanus VIII vitæ functus eſt munere; neque cuiquam dubium videbatur, quin, ſi ſola candidatis merita, ad Pontificatum maximum, ſuffragarentur, is illi in primis honor deberetur. ſed, conclave ingreſſurus, qui optime ſuæ ſibi infirmiſſimæ valetudinis erat conſcius, palam omnibus dixerat, vitæ ſibi finem adeſſe; non enim ſuffecturas ſibi vires, ad ea incommoda perferenda, quæ ſuſtinere loci anguſtiæ cogunt. Atque hæc vaticinationis ſuæ dicta, ſunt brevi confecta: nam, tum inter cetera mala, quibus ille conflictatus eſt, ob altiſſimum cujuſdam, ejus cellulæ proximi, ſomnum, qui totas noctes, quantum poterat, naſo ſtertebat, undecim noctes continuas ſomnus, ejus ab oculis abfuit. quo factum eſt, ut lethalis eum febris corriperet, ac curationis cauſa in finitima conclavi cubicula deferretur: ubi eſt paucorum dierum morbo conſumtus; ſæpe, ut dicebatur, querens, quod non poſſet, ob inopiam, aliqua grati animi ſignificatione, ſuam in familiares benevolentiam teſtatam facere. atque, ſine ullo funeris honore, quemadmodum ipſe præceperat, noctu elatus eſt in Ædem D. Silveſtri, Patrum Theatinorum in Colle Quirinali, ibique ſepultura affectus.

XI. SCIPIO CONZAGA.

SI quando fit, id quod non ita ſæpe contingit, ut eximia corporis pulcritudo præſtantem forma nacta ſit animam, tum homine illo, in quem hæc duo conveniunt, nihil fieri elegantius, nihil excellentius, nihil admirabilius poteſt. Hinc Socrates, doctor ille ſingularis, qui philoſophiam, ut dicitur, evocavit è cælo, & in hominum cœtus induxit, adoleſcentes illos, qui ad ipſum in diſciplinam convenerant, ſæpenumero hortari ſolebat, ut in ſpeculo formam ſuam contemplarentur, ac, ſi eam lepidam atque elegantem eſſe animadverterent, darent operam, quantum poſſent, ut ad ejus ſimilitudinem animum ingeniumque formarent. Non enim eadem eſt, animi & corporis, condicio: etenim non poſſumus corporis formam noſtrum ad arbitrium effingere, ſed animi ingeniique poſſumus. Quæ cum ita ſint, quid mirum, ſi Scipio Conzaga, Marchio, & S.R.I. Princeps, tantas, dum viveret, de ſe admirationes excitaverit, ac, mortuus, tam diuturnam tamque jucundam ſui memoriam reliquerit, cum duo illa, quæ diximus, ita in eum convenirent atque concurrerent, ut eſſent omnibus admirationi atque ſpectaculo? Primum, oris ac corporis totius dignitas; quæ tanta erat, ut nemo eſſet moribus tam agreſtibus, tam immanibus, tam feris, quin ejus, non ſolum ad ſe oculos, verum etiam amorem ac ſtudium alliceret. Tum, animi ingeniique forma ea illi à natura contigit, qua forma, nulla alia eſſet elegantior nec pulcrior. Etenim præclarum illud ingenium quod tanquam fertile ac pingue ſolum acceperat, non, ut plerique faciunt, quibus vivere in ſumma rerum omnium abundantia licet, ocioſum & à cultura deſertum reliquerat, ſed pulcherrimis omnibus ſtudiis, graviſſimiſque diſciplinis, excoluerat, atque excultum exornatumque reddiderat. Primum, Græcæ Latinæque linguæ intelligentia, tum optimarum artium notitia, omniſque liberalis & digna homine nobili ab eo percepta doctrina eſt: ſed præſertim Theologiæ, quæ erat illi in amoribus ac deliciis, plus operæ tribuit. Tam elegans, tamque venuſta

ſta hominis ingenii forma, adamata eſt ab omnibus, qui ſua ætate ſtudii cujuſpiam principes habebantur, à M. Antonio Mureto; qui etiam diſertiſſimas elegantiſſimaſque orationes ſuas, ejus nomini inſcriptas, emiſit: à Torquato Taſſo, non ſuæ ſolum ætatis, ſed multarum etiam, poëta longe maximus atque clariſſimus, arctiori quodam amoris & obſervantiæ vinculo comprehenſus eſt; nullum enim verſum ſcribebat, quem non ille ejus exiſtimantis arbitrio judicioque ſubmitteret: à Baptiſta Guerrino; qui, cum ceterorum ſcripta ſuum ad arbitrium vocaret, ſe tamen ſuaque omnia illi ſubjiciebat, atque, ab ipſo emendari ac corrigi, honeſtum ſibi ac præclarum eſſe ducebat. Ex hoc hominum genere, Patavii, illuſtrem illam, totoque terrarum orbe celeberrimam, Ætheriorum Academiam inſtituit, &, quoad ibi fuit, Principis nomine gubernavit ac rexit: ſed poſtea, cum Eccleſiaſticæ vitæ rationem, jam inde ab ineunte ætate, propoſitam habuiſſet, ſacris ordinibus initiatus, creatuſque Patriarcha Hieroſolymitanus. Verum, cum ad ſummam amplitudinem remigio, ut ajunt, veloque contenderet, paululum ad ſaxum navem offendit. Venerat ea tempeſtate Romam, religionis & officii erga Gregorium XIII, Pontificem Max. gratia, Gulielmus Conzaga, Dux Mantuæ, quicum illi, de quibuſdam caſtris, lites erant graves & magnæ. perfecit Scipio, auctoritate & gratia, ut Duci, ex templo Xenodochii Teutonum ad circum agonalem exeunti, dica per viatorem deferretur. quamobrem Dux, quanta maxima dici poteſt ira inflammatus, tantam injuriam queſtus eſt apud Pontificem: qui Pont. quo ſatis Duci fieret, juſſit Scipionem in carcerem condi. Sed à Sixto V, qui Gregorio ſucceſſerat, primis fere comitiis, Cardinalis eſt declaratus: neque ille, ad eum cooptandum, ſegnior eſt factus ideo, quod in Collegio Cardinalium eſſet alter eo nomine, Vincentius nimirum Conzaga. Sed purpura illa viſa eſt quidam quaſi canalis fuiſſe, unde intolerabilis in eum vis morbi influeret; vel potius tunicæ illius ſimilis, quam Hercules, ſanguine Centauri tinctam, induerat. nam podagra, neſcio an ex Orco prodiens, tam tetros tamque acerbos illi ciere dolores cœpit, ut

primum egregiam illam oris venuſtatem ac ſpeciem, tum vitam, ademerint; cum, neſcio quo, ad aquas, recuperandæ valetudinis cauſa, veniſſet. Etruſca aliquot carmina, elegantiſſime ſcripta, reliquit, in eo libro, quem Academia Ætheriorum, ex carminibus ſuorum Academicorum collectis, conficiendum typiſque mandandum curaverat.

XII. IOANNES RENALDINIVS.

ANcona, urbs Piceni celeberrima, ſemper optimorum ingeniorum, domi foriſque præſtantium, fœcunda genitrix extitit. Quæ urbs ideo Adriatici maris littus occupaſſe videtur, ut, quos ad communem omnium utilitatem genuit, ad tranſmarinas regiones, ſi ſit illis opus, maris opportunitate tranſmittat; qua vero terreſtres aditus habet, ut in mediterraneos populos, quod ab ipſa defluxit boni, transfundat. Sed noſtra ætate, ex iis, quos ſuo ex ſinu prodiiſſe gloriatur, haud poſtremum locum obtinet Ioannes Renaldinius, nobili loco natus. Hic, ſimul ac ætas rerum gerendarum patiens fuit, à fratribus, majoribus ætate, qui eum non uni tantum oppido natum videbant, miſſus eſt in eam Vrbem, quæ eſt tanquam compendium orbis terrarum, videlicet Romam; & in eam aulam, quæ tunc omnium gentium erat oraculum; nimirum in domum Card. Alexandrini, Pii V, qui tum rerum potiebatur, fratris filii. Sed, quamvis, quidquid eſt ubique præclarum ac laudabile, Romam, tanquam amnis in mare, confluat, ejus tamen virtus in unius urbis, quantumvis maximæ, gyrum non ſe compelli ſuſtinuit, ſed totum ſibi orbem terrarum, quaſi campum, aperuit, in quo latius excurreret. Neque quidquam ad id, quod animo conceptum habebat, opportunius in præſentia ſe illi obtulit, quam Ferrantis Conzagæ, Molphettæ Principis, favor ac domus; cui ſuas, pro pincerna, operas ea condicione addixit, ſi ſe muniendarum urbium caſtrorumque artem docendum curaſſet. Quod ſumma fide à viro illo principe perfectum eſt, nam ſtatim traditus eſt in diſciplinam Marchioni

chioni Germanico Savorgnano, ejus artis longe peritiſſimo. ex cujus doctrinæ fontibus cum tantum hauſiſſet, quantum ſatis eſt ſitim explere cupienti, continuo, tanquam equus exultans ac nobilis, qui vix tubæ ſignum expectat, ſe dedit in curſum. ac prima ejus excurſio in Burgundiam & in Flandriam fuit, quæ tũ maximis bellorum ardebant incendiis; ubi ad belli munia adhibitus, ſtatim ejus, quod didiciſſet, periculum fecit. atque, ut pulcre ſe illi ſtudio navaſſe operam, quæque aggreſſus eſſet, recte ſub manus ſuccedere vidit, vim illam ingenii atque virtutis in Italiam ac Neapolin tranſtulit, atque ab eo, qui tum Regnum illud pro Rege adminiſtrabat, Hidruntinis in Calabria munitiombus præfectus eſt, atque inde Mediolanum miſſus ad exercitum, cui Comeſtabilis Caſtellæ imperabat, Mediolani ipſius Gubernator, ut, quam ipſi laudabilem operam dediſſet, eandem Gubernatori illi præſtaret. Verum, in omni munitionum genere, atque adeo in omni belli apparatu, ita ſe geſſit, ut Gubernator, cum diligentiam admiraretur, ingenium agnoſceret, duxerit eum ſecum in Galliam; quo ibat, ut fœderis Catholici exercitibus ſuas copias adjungeret; neque ſolum veterem illi provinciam confirmavit, ſed novam addidit, qua iis, quibus expugnandarum urbium onus, ac militarium tormentorum cura incumbebat, tanquam magiſter ac dominus præeſſet. Sed tum licuit aſpicere, quanta in virtute vis inſit; cujus ea eſt ſpecies ac forma, ut omnium in ſe oculos attrahat, omnium in ſe ora convertat, omnium ad ſe amorem ac benevolentiam alliciat. Hac primũ delectatus Dux Humenæ, qui omnibus fœderatorum Principum copiis præerat, poſtulavit ejus à Gubernatore in beneficio ac gratia, impetratumque omnibus Regni Galliæ munitionibus arcibuſque præfecit. Tum ea pulcritudine impulſus Henricus IV, ſimul ac Regni faſtigium attigit, dedit operam, ut ſibi eum haberet; ac Laurentius Bargagna, Card. Giojoſæ cubiculi præfectus, ſæpius ſe vidiſſe teſtatur, Regem, dextera in ejus humeros rejecta, familiariſſime cum illo deambulare. Hac deinde virtutis pulcritudine, quæ etiam efficit, ut eos quos nunquam vidimus diligamus, Hieroſolymitanæ militiæ Magiſter

arreptus, Melitam eum, illius insulæ, ac Gozzæ in primis, muniendæ gratia, attraxit. Hac delinitus Comes de Lemos, Prorex Neapoli, aliquandiu secum illum habuit, ut in munitionibus quibusdam, ejus consilio atque opera uteretur; & Abellini Principi comitem addidit, qui cum peditum centuriis quinquaginta se Mediolanum conferebat, ob Saluciarum Marchionatum, de quo certamẽ erat inter Regem Galliæ & Ducem Sabaudiæ. Quibus controversiis compositis, non minore studio (cum, Leonarda Gratiolia, pari nobilitate fœmina, uxore ducta, Romæ commoraretur,) Comitis Beneventi, Proregis Neapoli, missis ad Regis Catholici oratorem literis, Neapolin evocatus est, ibiq; à Comite de Lemos, qui Beneventano successerat, diploma Regium abstulit; quo cunctis præficiebatur, quibus munitionum atque arcium cura commissa esset; stipendiis, dignis eo loco ac nomine. Tumultu interim exoriente in Monte ferrato, missus ad bellum gerendum Petrus Toletanus; qui, quasi ex eo bello aut nunquam aut cum Io. Renaldinio victoriam esset reportaturus, eum accersivit. Itaque Renaldinius, facta à Duce Ossunæ, tum Regni prorege, potestate, habuit necesse, Mediolanum venire. sed antea illi Romam transcurso opus fuit, quo Paulum V, Pont. Max. Ossunæ verbis rogaret, ut equitatum Neapolitanum per suos fines transire pateretur. quod impetravit, ut voluit. Bello autem confecto, Neapolin ad suam provinciam se recepit. Sed homini strenuo, ac nunquam cessanti, negotium non deerat. nam, Sipunto à barbaris expugnato atque direpto, missus est à Card. Borgia, ad illud oppidum instaurandum reparandumque. quo dum, Cardinalis mandata executurus, pergit, in itinere, graviori morbo ex labore curisque implicitus, Neapolin deferri se jussit, ut ibi curaretur. sed accidit, cum morbus in dies amplior vehementiorque efficeretur, ut tandem ejus vim ferre non posset: itaque illi succubuit. at virtutum ejusdem fama, & in primis abstinentiæ laus, in qua vicit omnes, nullis unquam casibus subjecta, nulla cujusquam vi perculsa, jacebit, sed inter temporum injurias, inter mortis necessitates, incolumis vivet. Rem plane admirandam. tot operibus,

tot

tot molibus, tam magnis,tam ingentibus,extruendis instaurandisque , præfuerat , tot annos ; Regum omnium orbis terræ maximorum pecuniam innumerabilem tractaverat; poterat impune non minimam ejus partem domum ſuam avertere , & ex fiſco transferre in ciſtam : & tamen filio , qui ipſi unicus erat , nihil niſi rerum à ſe geſtarum famam, & domeſticæ virtutis imitandæ neceſſitatem, reliquit; ut, divini Numinis providentia , tantam in uno abſtinentiæ vim extitiſſe exiſtimem,ut miniſtrorum avaritiæ , in poſterum tam abſtinentis hominis provideret exemplo. Non eſt tamen eundum inficias , fuiſſe eum voluptati obſequentem , ac magnum mulierum amatorem , dum vixit. Etenim , *qui ſic ſunt* , ut eſt apud poëtam neſcio quem , *haud multum heredem adjuvant*. At id, hominum improbitate , quam ſuopte ingenio , factum eſt magis. nam vix ad urbem aliquam accedebat, cum præſto erant lenones, qui homini voluptario , luculentas mulierum condiciones offerebant. quæ mulieres eo ſe illi lubentius applicabant agglutinabantque, quod forma eſſet non mala, ore non ineleganti,vegetis oculis , ac ſtatura , & ſi non ita excelſa , attamen in qua , ſingula membra toti corpori , peræqua proportione, reſponderent. Verum, quamvis, homo militaris, belli artibus, ab ineunte ætate, addictus eſſet , ſcribendi exercitationem non omittebat. nam plura ſcripſit de urbibus arcibuſque muniendis volumina,prout munerum, ad quæ adhibebatur, occaſio ſe daret.ſed ex iis illud tantum typis mandandum curavit, quo ſapientiſſimis rationibus edocet , quam non ſit tutum , infimas plateas arcium,lateribus ſternere. At , quamvis tanta rei militaris eſſe occupatio ſoleat , ut non multum ei , qui bella perſequitur, ſub pellibus otii relinquatur; pulcherrimos tamen bellorum , quibus ipſe interfuit , commentarios ſcribere non dubitavit. Et quamvis , militaribus præceptis addiſcendis , & rationibus , quibus aggeres & foſſæ ducerentur , percipiendis , operam ſuam dediſſet , ſæpe tamen ad hæc elegantiſſimarum artium ſtudia tranſibat. quanta autem cum utilitate, argumento eſt liber, quem de colorum ſignificatione compoſuit. Quid multa? quis poëticam laudem expectaſſet ab eo , qui ætatem , vel in bel-

bellis, vel in iis quæ ad bellorum apparatus pertinent, conſumſiſſet? At Apollo non ſibi moleſtum duxit, Pindo atque Helicone relicto, in caſtrorum munimenta ſe demittere, ut eidem, carmina ſcribenti, adeſſet. ipſe quoque delicatiſſimus Muſarum chorus, qui, in hortulis quieſcens ſuis, nihil tam abhorret, quam inſtructas militum acies, quique in pratorum viriditatibus, liquore perlucido amnium irriguis, vel molliter recubans, vel choreas ducens, nos à curis, & à bellorum præſertim tumultibus, avocat, auſus eſt Martis vultum non pertimeſcere, armorum ſtrepitus, tormentorum militarium tonitrua, tympanorum tubarumque ſonitus non exhorrere, ut lepidiſſimam illi Eclogam, aliaque, digna immortalitate, carmina dictaret. Obiit, annos natos tres & ſexaginta, anno CIↃIↃCXX.

XIII. M. ANTONIVS PETOLIVS.

SI natio noſtra, quemadmodum in ponderandis, expendendis, æſtimandiſque hominum ingeniis eſſe ſolet ſagax ac prudens, ita etiam in tribuendis præmiis, quæ virtuti, quam laudat, debentur, ſe juſtam æquamque ſemper præberet, nemini melius eſſet, quam probis ac literatis hominibus. in ſumma enim rerum omnium affluentia viverent; ipſi opes, ipſi honores, poſſiderent; illi priores, apud principes viros, partes haberent. Verum, cum de duabus rebus, quas virtus ſuo ſibi jure vendicat, hoc eſt, laudem ac præmia, primum, nimirum laudem, facile illi remittat, alterum vero, ſcilicet præmia, indignis ſæpe diſtribuat, fit, ut interdum nihil ſit homine literato miſerius, nihil magis contemtibile, nihil quod minus eſſe deſideres. Id ita uſu receptum fere eſt, ut minus jam quis miretur, ſi videat, doctos aliquos honeſtoſque viros egere, impuros ignavoſque divitiis affluere. Quod quamvis ſit vetus, tamen non potuimus non vehementer commoveri, non exhorreſcere, in eo, quod, non ab altero narratum, (quis enim illi fidem habuiſſet?) ſed oculis noſtris accepimus, homines nihili, tanquam è cælo delapſos, omnibus nonnunquam

quam amoris officiique ſignificationibus exceptos, primum locum tenere, victu, veſtitu, ceteriſque in rebus, perquam ſumtuoſe ac liberaliter haberi; contra, pios, religioſos, atq; omnibus inſtructos diſciplinis homines, quos in oculis ferre debebamus, pernoctare ſub dio, obſitos pannis incedere, fame, ſiti, ac frigore confici. Ex hoc eodem numero erat M. Antonius Petolius Montecorvinas, I. C. in primis, ſed admodum pauper, ac fere mendicus. cujus ingenium, ſemel ut aſpeximus, admirati ſumus, atque extulimus laudibus; ſed nihil de eo ab egeſtate, cujus dominatu premebatur, extrahendo excogitavimus, verum, in ejuſdem illum poteſtate reliquimus. quamobrem, miſer, ne, fame atque inopia rerum omnium confectus, è medio excederet, cogebatur ſuam impreſſoribus librorum operam, ad menda, quæ irrepunt, corrigenda locare; unde vix lucri tantum faciebat, quod eſſet, ad vitam parce ac duriter agendam, ſatis. Sed, quamvis ita cum rerum omnium inopia conflictaretur, tamen, cum erat domo exeundum, & in conſpectum hominum prodeundum, ita eleganti veſtitu utebatur, ut, qui eum non noſſent, quingenta quotannis ex ſuis vectigalibus ſcuta capere, juraſſet. At hic erat veſtitus exterior; nam interior longiſſimo, ab hoc, intervallo, diſtabat. illo, divitibus par ſimiliſque videbatur; hoc, infra omnes mendicos ac miſeros inveniebatur. nihil ille thorace, nihil femoralibus, nihil tibialibus, nihil udonibus utebatur; ſed horum omnium munus, varii generis panni, animalium pelles, fungebantur, quibus pectus, crura, pedes, coxaſque obvolutas, poſtea faſciis devinciebat. Verum, quo pretioſa illa veſtimenta diutius ipſi durarent, neque, ex frequenti uſu, attererentur, ſimul ac domum ſe receperat, eas exuebat, à ſordibus, ſi quas contraxerant, expurgabat, tum, diligentiſſime complicatas, in arcula quadam conſtruebat, recondebatque: quo facto, lectulo ſe commendabat, ibique prandebat, cœnabat, lectioni ſcriptionique operam dabat. ibi egregia illius opera, ac prope divina, ſunt orta, ut, ſimul collata ac colligata, ſi ſint attollenda, valentiſſimi cujuſque bajuli vires excedant. Atque hactenus de corporis ornatu. Ad victum vero quod attinet, erat ejuſmodi, ut

paus

paululum à pecudum ritu differret. amicis quibuſdam ſuis perſancte affirmabat, totis ſex annis continuis nihil cocti obſonii ſuum in ventrem immigraſſe, ſed aſperam ſe veterum Anachoretarum vivendi rationem in ſe revocaſſe, atque ex deſertis Thebaidis regionibus mediam in Vrbem tranſtuliſſe, (nam ad Rotundæ habitabat, qui locus, illius eſt umbilicus,) hoc eſt, panem tantum atque olera in cœnas ac prandia adhibuiſſe: ita enim ejus lucelli, quod tum faceret, rationem tuliſſe: ſi enim ſe nitidius curare voluiſſet, ſumtus lucrum ſuperaſſet. Ædes vero, quas incolebat, nihil à victu reliquoque ejus cultu diſtabant, ſed mire cum illis congruebant. hæ erant, vetuſta ac parva quædam cubicula, turri campanarum ædis Pantheon, tanquam niduli, affixa; quo olim mures ejus regionis confluebant, ibique ſenatum contra feles, capitales ipſorum hoſtes, habebant; ad quæ longis ligneis ſcalis, nulla ſponda munitis, perveniebatur; quibus, qui paululum vertigini eſſet obnoxius, vel largius in prandio ſe invitaſſet, non auſus fuiſſet ſeſe committere. Quæ cubicula Vrbanus VIII, Pont. Max. tum diruenda curavit, cum è porticus, ædi illi adjunctæ, tecto trabes ac tegulas æneas, quas in tormenta muralia converteret, detrahebat, & earum loco fictiles ſubrogabat. Depulſus igitur ex ea loci celſitudine, in quam fortunæ eum iniquitas, fortaſſe perdendi illius cauſa, evexerat: è qua ne præcipiti lapſu devolutus occideret, illa horribilis ejus abſtinentia fecerat, qui vix tantum vini adhibebat, quod eſſet ad tuendam valetudinem ſatis; cujus vini ſi paululum ſtudioſus fuiſſet, nulla eum ſalus ſervare potuiſſet: ex illo, inquam, hirundinum nido, vel murium potius, ut diximus, curia, deturbatus, in domum amici cujuſdam ſui, prope Ædem D. Caroli ad Catinarios, quam vocant, ſe contulit, in cujus vinea ſcuta quadringenta collocaverat, quorum ex fructibus magna anni parte ſe aleret, libroſque coëmeret. quæ ſcuta, non Romæ lucrifecerat, ſed Romam ex patria deportaverat, ubi, auctione facta, fundum, ædes, ſuppellectilem & bona omnia vendiderat. Sed viſa eſt tandem Roma eum reſpicere, ac velle ex iis rei familiaris angustiis, quibus premebatur, eripere. nam cum Congregationi

tioni Cardinalium, quibus librorum indicis cura impendet, ſæpius fidem, doctrinam, induſtriam, ac diligentiam ſuam probaſſet, illi, ſponte ſua, à nemine admoniti, dederunt Maphæo Card. Barberino negotium, ut Pontificem Paulum V adiret, atque ipſorum omnium nomine rogaret, ut daret operam, ne docti ingenioſique hominis virtus, ſemper haberet neceſſe, cum rerum omnium inopia conflictari, ſed, adverſus illam, aliqua eam ope muniret. Qui cum partes ſuas impleſſet, ac diligenter cum Paulo ſermocinatus eſſet, neſcio tamen quid incerceſſerit, ut tota illa commendatio poſtulatumque neglectum ſit. At Paulo mortuo, Barberinoque in id faſtigium evecto, Petolius ſibi ipſe non defuit, ſed, ad oſculum pedum admiſſus, revocavit illi in memoriam, quanto ſtudio ſuam Cardinalis apud Pontificem Paulum cauſam egiſſet; aitque, magnam ſibi ſpem eſſe, ut, quod vitæ auxilium à Paulo impetrare non potuiſſet, id ſibi ab Vrbano (hoc enim nomine appellatus eſt Barberinus,) large copioſeque ſuppeditaretur. Reſpondit Vrbanus non inhumane, ſe curaturum, ut ſibi proſpectum aliquid eſſet; eademque opera mandavit Franciſco Cardinali, fratris filio, ut rem ſuſciperet perficeretque, ne quid illi deeſſet. Sed, cum diem ex die duci, ac verba fieri mortuo, intelligeret, ſæpius Vrbanum adeundo, rogando inſtandoque, demum tundendo, atque odio, non ſcio cujus interceſſu calamitatis, vix diaria ab illo, hoc eſt, quotidianas panis vinique portiones, expreſſit. quibus divenditis, ex mercede quam collegerat, libros mercabatur, & bibliothecam ſuam locupletabat, adeo ut poſtea aliquot centenis aureis nummis ſit æſtimata. Verum, cum, in quodam morbo, ſive à diuturnis vitæ incommodis ac laboribus orto, ſive ex prolapſione, qua gravi ad terram datus eſt caſu, neceſſe habuit, plures annos ſcipionibus, alis ſuppoſitis, innixus ingredi. quo tempore, Cardinalis Biſciæ liberalitate ſuſtentatus, quamvis uſum pedum amiſiſſet, non tamen mentis celeritate, quæ nullo caſu poteſt retardari, caruerat. Itaque nullum ſibi tempus, vacuum à commentationibus vel à ſcriptionibus, dabat. Sed, cum ex eo morbo convaluiſſet, ac pedum uſum, magna ex parte, recepiſſet, cœpit agere

cum

cum Cœnobiarcha quodam, ut ſua in domo cubiculum ſibi aliquod præberetur, ea lege, ut, tum quadringenta illa ſcuta, quæ diximus, tum bibliotheca, quæ totidem, atque eo amplius, aureis nummis æſtimabatur, ſua ad cœnobium illud morte redirent. At multum ipſi fuit cum illo laborandum, multis difficultatibus occurrendum; ſed tandem in leges quas ipſe ſcripſerat, quod poſtulabat, obtinuit; atque ibat, ut cubiculum, ſibi deſtinatum, aſpiceret, alacritate propemodum geſtiens; quod putabat, ſe intraturum cubiculum lucidum, latum, amœnum, pulcherrime laqueatum, præclaroſque proſpectus habens in Vrbis domicilia, & in adjectas Vrbi villas campoſque: cum, ecce tibi, deducitur anguſtum in tugurium, fumidum, ſub tegulis habitandum, incertum neſcio quod lumen è tecto accipiens, &, quia latrinæ, quo omnes ejus familiæ ventrem exoneratum ibant, fines attingebat, intolerabili odoris fœditate refertum. At ille, ex inproviſo ſua de ſpe & opinione dejectus, Cœnobiarcham, qui ſe illuc deduxerat, intuens, Quodnam meum, inquit, ob meritum tam tetro, tibi, dignus carcere videor? nullus antehac carcer me habuit; at nunc, tanquam inſanus furenſque, comprehendendus colliganduſque eſſem, ſi in iſtum compingi concludique me paterer. Tum, quantum poteſt, ſe inde proripuit, & in veterem habitationem recepit; neque inde antea diſceſſit, quam, vita excedens, communem eſt profectus in locum. Innumera ſunt fere, quæ ſcripſit: ſed majora & illuſtria referam. Primum, de exarchia, hoc eſt, de exterioris Principis munere; quod opus, P. Bzovii opera, fuit Coloniæ Agrippinæ impreſſum: de quo opere ſæpius querebatur, ſe ab impreſſore peſſime fuiſſe tractatum expilatumque; qui, quidquid libitum fuiſſet animo ſuo, typis mandaſſet, reliqua ex eo, quæ ſibi placita non eſſent, removiſſet. tum ſcripſit aliud opus decem in libros digeſtum, Exarchon, ſive de ſanctioris Principis munere, nuncupatum: deinde, Commentaria politica, aliis decem libris expoſita: præterea, epitomen conſtitutionum Pontificalium, in tredecim libros redactam. quibus operibus duo alia acceſſerunt; unum, de Iure ex arte digerendo; alterum,

alterũ de Paradiſi terreſtris inopina quaſi notitia. Arctiſſima Nardum Antonium Reccium cognatione attingebat : nepos enim ſuus fuiſſe dicitur. qui Nardus , medicus ſingularis, cum multos annos in nova Hiſpania egiſſet, ingens volumen , de rebus , quas tellus illa fert,quibuſque illæ morbis ſint uſui , ſcripſit ; quod Romæ impreſſum , cum imaginibus earum rerum , quas tradit; additis etiam illuſtrium virorum animadverſionibus annotationibuſque ; ſed nondum publici juris eſt factum.

XIV. IO. PETRVS MAFFEIVS.

BErgomates,illuſtres Italiæ transpadanæ populos, ex Orbiorum , hoc eſt, ex interpretatione nominis,hominum , in montibus vitam degentium, ſtirpe procreatós , olim fuiſſe queſtos accipimus, elatius ſe, quam fortunatius , ſitos fuiſſe. Quod ſi præſens illorum ſtatus atque condicio ante oculos ſtatuatur,nullam unquam iniquius querelam comparatam fuiſſe conſtabit. nam, ſi felix ac fortunata ea dicenda urbs eſt, ubi plures , ſummo genere orti , ubi non parum multi fortunæ bonis omnibus affluentes , ubi minime pauci bellicæ virtutis fama inclyti , & quod caput eſt , ingenii literarumque gloria præclari , verſentur ac vigeant; profecto, Bergomatum urbs adeo rerum harum laudibus floret , ut , converſa oratione, multo eam fortunatius , quam elatius , ſtatui collocarique , dicendum eſſe videatur. Ibi Gymnaſia, ubi juventus haſta , curſu , pila, ſaliendo , & ludicra armorum tractatione , exerceatur ; ibi hippodromus , ubi ephebi equos ſcite eleganterque agitare , frenis compeſcere , anguſtumq; in gyrum compellere ad belli uſum, aſſueſcant. Sed , his omiſſis , præclaris hominum præſtantiſſimorum ingeniis , quæ dedit ex ſeſe & de quibus nobis eſt ſermo , noſtra definietur oratio; quorum plura, uno fere tempore , nobilis illa urbs edidit , quam prope reliqua ſimul Italiæ oppida , quantumvis maxima ac celeberrima. E quibus oculos ad ſe primum noſtros attrahunt duo Zanchii, Baſilius, & Io. Chryſoſtomus ; in

quibus nulla ſententiarum gravitas, nulla verborum majeſtas, nullus orationis ornatus, nullum poeticæ facultatis lumen deſideratur: tum, Publius Fontana, poëta item graviſſimus, in quem, Pythagoræorum commento, Virgilii animum immigraſſe, poſſe dici videtur. accedunt, Bernardus Taſſus, qui, omnes concinnitates ſententiarum, omnes lepores, omnes veneres Græcorum Latinorumque poëtarum, Etruſcam in poëſin eſt transferre conatus. ſequitur Torquatus filius, non tam in ejus ſinu, quam in ejuſdem diſciplina educatus, ſuis Virgilium, poëtarum principem, veſtigiis perſequens, pari cum illo ingenii laude; unde ad ſummum heroici carminis culmen faſtigiumq; pervenit. quod ſi non conſtaret inter omnes, quod parente Bergomate natus eſſet, omnes Italiæ civitates, quod de Homero traditur, pugnarent inter ſe, atque ſuum eſſe contenderent: nunc autem, cum id non poſſint, ab hac clariſſima Bergomatum luce, tanquam alia à ſole ſidera, aliquod ſibi lumen ac ſplendorem arceſſunt; atque, ob linguæ ejuſdem ſocietatem, ex illius laude Etruſci aliquod etiam in ſe decus redundare gloriantur. Verum, ne videretur tellus illa felicior in procreandis iis, qui adſtricta pedum legibus oratione, quam qui ſoluta, ſcripſerunt, alterum, hujus ævi, Latinæ linguæ lumen edidit, qui ſermonis puritate, nitore, elegantia, non video, cuinam ex veteribus hiſtoricis debeat cedere: nimirum, Io. Petrum Maffejum, honeſto genere progerminatum. Is ad eas artes percipiendas, quibus ætas puerilis informari ad humanitatem ſolet, non habuit neceſſe, foras proficiſci. nam domi optimos habuit magiſtros, Baſilium & Io. Chryſoſtomum, Zanchios, Canonicos regulares; de quibus antea mentionem fecimus. ab iis enim eſt Tuſcis, Latinis, & Græcis literis eruditus. Quem cum, ingenio peracri, & ſtudio flagranti, non progredi, ſed evolare, ad ſummam eloquentiæ laudem, cernerent, non illi deerant, ſed ingenii acuendi exercendique, aliquam ſemper occaſionem ac materiam ſuppeditabant. Itaque ternas ab eo ſingulis diebus ſcriptiones, tanquam penſum, efflagitabant, Græcam unam, Latinam alteram, Etruſcam tertiam: quod ille penſum, magna cum illorum admiratione

tione, ſolvebat. Sed cum jam nihil magiſtris egeret, ac ſine cortice, ut dicitur, naret, ſtylum illum, optimum dicendi ſcribendique effectorem atque magiſtrum, quem exercuerat, ex domeſtica atque umbratili exercitatione in pulverem & ſolem eduxit; Romam venit; ubi ille Romanæ aulæ notitiam habuit, aula itidem ipſius. ubi cum honoraria ejus opera à multis expeteretur, tandem à Rep. Ianuenſi magnis illa ſtipendiis conducta eſt, ut urbis illius nobilitati præcepta Rhetoricæ traderet. quo munere, tanta cum eloquentiæ & eruditionis functus eſt laude, adeoque omnium in ſe ſtudia benevolentiamque convertit, ut Reſp. illa majori eum provincia dignum exiſtimaverit, atque arcanorum ſuorum omnium conſcium atque participem fecerit. quam provinciam ita geſſit, ut fidem admirarentur omnes, diligentiam agnoſcerent. Properabat in dies magis, ad ſummam hominis eloquentiſſimi exiſtimationem & famam; &, quod eſt conſequens, ampliorem ſibi ad principum virorum gratiam, latioreſque ad honores aditus, aperiebat: cum, divini numinis afflatu impulſus, ſecum ipſe reputans, quam fluxæ, caducæ, & inanes, omnes humanæ res eſſent, arctioris vitæ cupiditate exarſit, ac Societati Ieſu nomen dare conſtituit, annos triginta natus: quæ Societas florebat, ut cum maxime, hominum, ſanctitatis doctrinæque opinione illuſtrium, numero, tum, cum ille eam eſt ingreſſus; neque ita multo poſt, profeſſionem emiſit. licebat enim celerius, Pii V Pont. Max. lege, quæ jubebat Soc. novitios, elapſo probationis anno, publico ac ſolemni ritu, ejus inſtituti rationem profiteri; quæ lex deinde à Gregorio XIII ſublata eſt, decretumque, ut ſuperiorum arbitrii ea res eſſet. Sed Societatem ingreſſus, nihil habuit antiquius, quam ut vitam S. Iguatii Loyolæ, Soc. Ieſu fundatoris, ſcriberet. Tum Vlyſſipponem profectus eſt, ut rerum ejus Indiæ, quæ ad orientem pertinet, hiſtoriam contexeret. Qua occaſione ad Philippum II, Hiſpaniarum Regem, illi aditus patuit; qui operis conſilium laudavit, ac fuit auctor, ut illud ſtrenue proſequeretur. cujus abſoluti precium tulit. nam Rex, ejus fratrem, Senatus Mediolanenſis à ſecretis elegit. Rever-

ſus in Italiam, vitam S. Ignatii, & rerum Indicarum hiſtoriam, edidit: quibus operibus principem, inter ſui ævi hiſtorias Latina lingua loquentes, obtiuuit locum. Iuſſus deinde à Gregorio XIII hiſtoriam eccleſiaſticam ſui Pontificatus intexere, ille, tredecim libris comprehenſam, Etruſco ſermone explicavit. Habuit eam in animo in Latinum ſermonem convertere; ſed, delectatus opere, de ſententia deceſſit, atque ad aliud ſtudium animum appulit. Hoc opus, nondum editum, heredum Iacobi Boncompagni, Sorenſis Ducis, cuſtodiis aſſervatur. Ajunt etiam, ejuſdem exemplum, in libris manuſcriptis bibliothecæ Barberinæ numerari. Etruſcis etiam his literis, duodecim illuſtrium Confeſſorum vitas mandavit. Accerſitus deinde eſt à Clemente VIII Pont. Max. in ædes Vaticanas, ut inchoatam hiſtoriam eccleſiaſticam, & uſq; ad Gregorii mortem perductam, proſequeretur, & ad ſua tempora protenderet. manum ille operi admovit, ac tres libros confecit; ſed, ne progredi longius poſſet, mors, quæ omnia noſtra conſilia atque conatus, in medio curſu, ſæpe pervertit, cauſam ſuſtinuit: ea enim illi, ad calcem operis feliciter properanti, iter perrupit, atque diremit. Mortem obiit Tibure, annos natus quatuor ac ſexaginta, in Collegio ſuæ Societatis. Fuit ſtatura procera, forma neq; liberali neque honeſta, ore macilento, atque oculis paulum tranſverſe tuentibus; ſine ulla venere, ſine lepore; nulla in familiari ſermone facundia; neque cavillator facetus, neque conviva commodus; verum ita iracundus, ut interdum ſe continuere non poſſet. Sed habebat hoc, ut veſpere, cum, more Societatis Ieſu, in cubiculo clauſus, introſpiceret in mentem ſuam, eamque omni cogitatione pertractans, percontaretur ipſe ſe, quid eo die egiſſet vel dixiſſet, ſi occurreret, aliquem vehementioribus à ſe verbis fuiſſe appellatum, ex pœnitentia, magno animi dolore correptus, exſurgens, atque ad illum, quantum poteſt, accurrens, ad ejus ſe pedes abjiceret, & humilibus ac demiſſis eum precibus, ut ſibi ignoſceret, exoraret. Tenui & infirma erat valetudine, adeo ut ſæpe ſuperiores nonnihil quaſi offenderentur in eo, quod nimis nitide quodam modo delicateque in victu vellet haberi; aſſerens, niſi lau-

lautiuſcule curaretur, ſe ſcribendi laborem ferre non poſſe; ut etiam, tuendæ valetudinis cauſa, regiones ac loca mutaret, neque diutius uno ſe oppido contineret. Summum, ad ſcribendum, laborem ſtudiumque adhibebat. omnia Latina verba collegerat, ac pro ratione temporum, quibus inventa vel uſu recepta eſſent, diſtribuerat; tum, quæ verba hiſtoricis, quæ poëtis, quæque oratoribus eſſent aptiora, notaverat. Illud euimvero in eo ferendum non erat, quod Salluſtium Criſpum, Romanæ decus hiſtoriæ, ad ſui judicii calculum revocare ac damnare audebat; ideo fortaſſe, quod divinam illius prudentiam, illuſtremque brevitatem, qua nihil eſt in hiſtoria dulcius, ſe imitari poſſe diffideret. nam tantum quiſq; laudat, quantum ſe imitari poſſe, non deſperat. Ceteroqui tanto accuratæ, enucleatæ, abſolutæq; dictionis ſtudio torquebatur, ut denas, vel ſummum quindenas, ſingulis diebus lineas amanuenſi, eaſq; jacens in lecto, dictaret: iiſque, qui tantam in ipſo tarditatem ac moram admirarentur, reſpondebat, cum ea, in quibus tantum operæ ſolitus erat ponere, in hominum manus, atque in exiſtimantium arbitrium, perveniſſent, non, quam ea velociter, ſed quam bene, ſcripta eſſent, quæſituros. Illud quoque non eſſe prætermittendum videtur; nimirum quo tempore Torquatus Taſſus divinis ſuis carminibus æternum patriæ ſplendorem afferebat, eodem, Io. Petrum Maffejum, ſoluta oratione, par eidem ornamentum ac decus peperiſſe, ut, qua felicitate unus, patriæ illi Virgilius obtigerat, eadem Tullius alter accederet.

XV. PETRVS STROZZA.

SEd jam ex Obiorum montibus, & ab oppido Barra, cujus ruinis, Bergomatum opes creviſſe narrantur, in apertam Florentini ſoli planiciem deſcendamus; ubi, præter eos, de quorum memoria commemoravimus, plures alii ſe offerent, quorum imaginibus Pinacothecam hanc noſtram, pulcre inſtructam ornatamque reddamus. ac primus occurret Petrus Strozza, domeſtico ſummo genere ortus; qui præter generoſam ſtirpem,

quam ego in præcipua cujuſquam laude ponendam eſſe non duco, quod eam non noſtro ingenio pariamus, ſed à natura, atque à majoribus traditam, accipiamus; præter, inquam, nobile genus, erat in omni genere honeſtarum artium peritus ac doctus, quæ in virum nobilem conveniunt. Ac primum, Ariſtotelicam omnem Philoſophiam, Lazaro Bonamico monſtrante, cognoverat; quam ille, acriori mentis acie quam plerique ſolent, inſpexerat. nam multi, quamvis optimo ingenio præditi, à Græcis literis nudi atque inermes, ad ea percipienda, quæ ab Ariſtotele traduntur, accedunt; ideo ſæpenumero fit, ut, hoc lumine deſtituti, clariſſimis apertiſſimiſque in rebus caligent. at ille, ad eorum intelligentiam, Græcam linguam, in qua non mediocriter erat eruditus, attulerat. quam ob cauſam, domi ſuæ ſemper exquiſitum aliquem è Græcia magiſtrum habuit. & ad hanc Græci ſermonis notitiam, aliquot etiam aliarum linguarum cognitio acceſſerat, ut Chaldaicæ: nam librum edidit, de dogmatibus Chaldæorum. Tum, in omnibus Mathematicis diſciplinis, erat plane perfectus; nec aliarum artium præclariſſimarum funditus expers ac rudis. Vt ejus ingenium, plurium atque inter ſe diſſimilium doctrinarum, quibus fuerat imbutum, fœtibus uber atque fœcundum, arbori cuipiam ſimile videretur, in quam inſiti aliarum arborum calami, pro illorum varietate varios etiam fructus educunt. Neque alias inferiores artes contemſit, præſertim picturam & architecturam; ſed in eis ſe exercuit; non tamen eatenus progreſſus eſt, ut ad leviſſimas humilimaſque deſcenderet, ut Eleus olim Hippias; qui, cum exiſtimaret, Philoſopho nihil eſſe ignorandum, quod in aliqua arte eſſet, annulum quem haberet, pallium quo amictus, ſoccos quibus indutus eſſet, ſe ſua manu confeciſſe gloriabatur. Verum, in architectura ita excelluit, ut paucos haberet pares, ſuperiorem neminem. quæ res magnam illi apud eos, qui eam artem profiterentur, invidiam concitavit; qui ferebant indigne, ſe, in ſuo artificio, ab homine nobiliſſimo, & multarum præterea præſtantiſſimarum artium principe, ſuperari. Leone XI Pont. creato, Romam venit; à quo humaniſſime exceptus eſt, atque ab epiſtolis ſanctioribus ad ſummos

ſummos principes viros dandis, habitus ad manum: cujus ille muneris, ſumma ambitione, ſe cupidum fuiſſe, mihi narrabat; quod, præter exiſtimationem ac decus quod habebat adjunctum, magnam prudentiæ oſtendendæ, ingeniique declarandi, facultatem ac materiam afferret. quam illi provinciam, Leone exſtincto, qui quinque & viginti, non amplius, dies in Pontificatu confecit, Paulus V, qui Leoni ſucceſſerat, non ſolum non abrogavit, verum etiam ſtabilivit atque firmavit; &, quoniam eam egregie, atque ex animi ipſius ſententia, gerebat, inſigne in Æde Vaticana, Apoſtolorum principi ſacra, ſacerdotium, quod Canonicatum appellant, attribuit. Sed, quamquam eo titulo cohoneſtaretur, nunquam tamen initiari ſacris eccleſiaſticis voluit; eo fortaſſe animo, ut, ſi, quæ cogitabat, non recte procederent, illud conſilium caperet, quod poſtea cepit. Neque dubium eſt, quin ab jure, ab æquitate, à ſacrorum canonum præſcripto diſceſſerit, quibus præcipitur, uti ante certam diem ii, quibus ejuſmodi munera conferuntur, ſacris initientur. Sed, cum in magna apud Pontificem Paulum gratia eſſet, eorum, qui illi obtrectabant, calumnia paulum eſt ab ea depulſus. Ædificabat Pont. in Baſilica Liberiana S. Mariæ Majoris, regali ſane cultu magnificentiaque, ſacellum, eidem Virgini ſacrum, cujus ædificandi exornandique Pont. Max. non poſtremas Petro partes dederat; ſed, cum adverſi in eo aliquid accidiſſet, id illi ab inimicis tributum eſt. quam ob rem cum propterea Pontifici minus eſſet gratus, abdicavit ſe ſacerdotio, ac Florentiam abiit: ubi humaniſſime, à Coſmo, magno Etruriæ Duce, exceptus, magno ſtipendio conductus eſt, ut, in Gymnaſio Piſano, Philoſophiam doceret. At conſilio, quod poſtea iniit, indicio de ſe ipſe fuit, cur initiari ſe noluiſſet. nam puellam elegantiſſimam in matrimonium duxit: quo etiam tempore Io. Coſmus Geroldinus Amerinus, Coſmi, magni Etruriæ Ducis, architriclinus, de ſeptem viduarum ſententia, quibus negocium dederat, ut uxorem ſibi, uſque ab unguiculo ad capillum ſummum feſtiviſſimam, quærerent, deformem domum adduxerat. Itaque magnus Dux Coſmus, in jaciendo mittendoque ridiculo, ſane perurbanus,

dixiſſe fertur, in uxore diligenda, plus vidiſſe Petrum, cum perſpiciliis ſuis (nam parum longe videbat) quam Io. Coſmum cum ſeptem viduarum oculis. Primum, quem ex uxore ſua filium ſuſcepit, tanquam Samuelem alterum, Eccleſiæ miniſterio, adhuc infantem, addixit; mandavitque, ut pueris illis adſcriberetur, qui in Æde, Apoſtolorum principi dicata, privatis quotidianis ſacris deſerviunt.

XVI. GERARDVS SARACENVS.

NIhil homine, nobili loco nato, ſi ſit militaribus diſciplinis & liberalibus artibus inſtitutus, fieri poſſe præſtantius, perſpicuum eſt magis, quam ut explicari eloquentis cujuſpiam oratione poſſit. Quod ſi elegans corporis forma, & ſuavitas morum, accedat, tum ſit illud ſummum atque perfectum. Quod in iis maxime deſideratur, quos in principum virorū aulis verſari contingit. Omnibus his laudibus cumulatus extitit Gerardus Saracenus, Senis, ex vetere ac nobili proſapia ortus, honorarius S. Stephani miles. Magna erat in eo dignitas formæ; quam mores optimi honeſtiſſimique mire commendabant. Nunquam præponere ſe aliis, neminem contemnere, ſed omnes vereri, atque diligere; nemini in amicorum conventibus oblocutor, nemini orationem præripere, ac velle ſolus omnia dicere, ſed juſtam partem orationis exequi, ſuam itidem partem aliis relinquere. Quibus rebus aſſequebatur, ut omnes ejus amicitiam expeterent, ſemper cum eo eſſe cuperent, nunquam expleri liberaliſſima ac jucundiſſima ejus conſuetudine poſſent. Eruditus eſt, à Patribus Soc. Ieſu, omnibus doctrinis, quibus puerilis ætas informari ad humanitatem ſolet. Neque apud eos operam perdidit. nam erat in puero, & ingenii docilitas, & mira, in accipiendis iis quæ traderentur à magiſtro, celeritas; in iis autem literis, quæ ab humanitate ſibi nomen aſciverunt, ad quæ à natura factus videbatur, addiſcendis, tantus ardor ac ſtudium, ut brevi, tum Latina, tum Etruſca

Etruſca lingua, verſus quam elegantiſſimos faceret, &, cum dicendum eſſet, pura, dilucida, nitida, & copioſa oratione uteretur; quæ eo gratius hominum ad aures veniebat, quo ſumma cum oris vociſque ſuavitate erat adjuncta. & quo ea, quæ docte, erudite, ingenioſeque excogitaverat, in medium poſſet afferre, &, quæ ab aliis afferebantur, accipere, Academiæ Humoriſtarum frequentiſſime aderat. Sed magna plerumque ingenia, intra unius facultatis terminos, tanquam ſeclusa aliqua aqua, teneri non poſtulant; per varia etiam ſtudia pervagari ſeque diffundere properant; præſertim, ſi dulces amicorum conſuetudines, ſi amœna cum illis convivia, ſi honeſtas nobilium mulierum amicitias, ſi regales principum virorum aulas meditentur; quibus omnibus in locis iis, quorum ad venuſtatem mores valent, plurimum poſſunt, ubi in primis Venus, amor, & amœnitas exercetur. Igitur humaniſſimas illas elegantiſſimaſque literas, quibus, tanquam Iovis poculo, pectus alebat, cum aliarum pulcherrimarum liberaliſſimarumque artium ſtudiis copulavit atque conjunxit. nam, ſcite fidibus canere, eleganter ſaltare, & pſallere, doctius etiam animi gratia pingere, quam plures, quibus artificium illud vita erat. Prima aulicæ vitæ rudimenta poſuit, in caſta Alexandri Cardinalis Vrſini, optimi ſanctiſſimique Principis, aula: fuit enim cubiculi illius præfectus: ſed ad breve tempus: nam celerius, quam opus fuerat, rebus humanis virum illum principem ſua ingentia in cælum merita evocarunt. Inciderat illius mors in initia alterius Pontificatus, à quo, ob veterem amicitiam, omnia ſumma ſperabat, &, quoniam, literatos homines, non levis omnium fere mortalium opinio in ſpem maximam induxerat, fore, ut, eo Pontifice, ſummus ipſis honor haberetur, atque omnia virtutis præmia deberentur. ſed hæc illi ſpes, una cum aliis doctis viris, decollavit. etenim nullum fere unquam fuit tempus, quo magis literarum ſtudia viluerint, nec, quo majore viri, doctrina & eruditione clariſſimi, ludibrio ſint habiti, ac virturis præmia largius, imperitis hominibus reddita. quamquam hæc non tam eſt virorum Principum culpa, quam ſemper adverſæ, literatorum na-

tioni, fortunæ. Sed tandem (adverſus animi ſui ſententiam, arbitror, cum mitioribus eſſet Muſis addictus,) Ravennam miſſus eſt judex, ubi aliquot annos, cauſis cognoſcendis dijudicandiſque, ſumma cum æquitatis juſtitiæque laude, præfuit. Verum, tranſactis jam ſuis partibus, Romam reverſus, cum aliquandiu fortunæ ſuæ periculum feciſſet, caderentque omnia teterrime, ad Principum Mediceorum benignitatem, & erga bonas literas ſtudium, ſpei ſuæ navim, mutata velificatione, dirigere ſtatuit; quod memoria teneret, complurium, clariſſimorum doctrina virorum, ſpes naufragas atque afflictas, quæ illuc appuliſſent, tutiſſimum in eo perfugium portumque inveniſſe. Eo igitur, unde tam ſecundus flatus oſtendebatur, vela pandens, non ſolum inde, quo aggrediebatur, non eſt repulſus, neque in altum rejectus, ſed humaniſſime exceptus, ac Gymnaſii Piſani Gymnaſiarcha, hoc eſt, ut nunc loquimur, Præſidens, eſt factus: quod munus, honeſtatis & utilitatis plurimum habet adjunctum. Tantus honor, Principis liberaliſſimi, rem illius familiarem labantem ruentemque præfulſiſſet præmuniſſetque, ſi diuturnum eſſe licuiſſet; ſed, Piſani inſalubris aëris gravitatem cum ferre non poſſet, annos ſexaginta natus, eſt mortuus.

XVII. IVLIVS CÆSAR BOTTIFANGA.

SI Iulius Cæſar Bottifanga, Vrbevetanus, Luſitanæ Chriſti militiæ miles honorarius, quemadmodum poëticæ facultati operam dederat, in eaque ſe exercuerat, ita ſe Philoſophum profeſſus eſſet, ſane haberemus, quem cum vetere illo Eleo Hippia, cujus antea meminimus, non ſolum compararemus, verum illi etiam merito anteferremus. Ille enim induſtriæ ſuæ modum, cum à Philoſophiæ ſtudiis diſceſſiſſet, iis tantum rebus terminaſſe legitur, quæ ſunt in unaquaque earum artium, quæ ad uſum & ornatum corporis attinent; ut, in palliis ſarciendis, calceis ſuendis, annulis, quibus digiti ornantur, conficiendis, ſarcinatoris, ſutoris, & aurificis munus impleret: nunquam tamen me legiſſe vel

vel audiviſſe memini, in iis laudibus eum eſſe verſatum, quod tibiis ac fidibus optime caneret ; quamquam veriſimile ſit , hanc ab eo laudem non abfuiſſe , quod ſummam eruditionem Græci ſitam eſſe cenſerent in nervorum vocumque cantibus ; ut etiam Socrates, jam ſenex, muſicam didiciſſe narretur. ſed, ut demus, eam laudem in illo fuiſſe , ut citharizare , & cantare ad chordarum ſonum , non ignoraret , eam certe gloriam uſurpare ſibi non potuiſſe crediderim , quod citharas , tibias , aliaque muſica inſtrumenta, ſua manu elaboraſſet perfeciſſetque. tum , gloriatum eum eſſe non legimus , quod penicillo vel acu pingeret, aliaque multa ex ſe daret, in quibus hic noſter longe multumque præſtabat. Etenim , non ſolum femoralia , thoraces, ſagos, qui eſſent apti atque habiles ad ea corporis membra quibus parabantur , ſibi ipſe deſcribebat , formabat , ſuebatque ; verum etiam veſtes , unde hæc ſibi concinnaret , ſua manu texebat : non ſolum fidibus præclare canebat, atque ad earum ſonum vocem accommodabat, verum etiam verſibus, quos cantabat, modos faciebat ; tum, quod incredibile dictu videatur , una manu tibiis , altera clavicymbalo, docte ſcienterque canebat ; præterea , fides , teſtudines , clavicymbala , melius quam quivis alius artifex , conficiebat : atque unum ex his , quod cantus ſuavitate ferebatur in primis, Sodalitati B. V. Aſſumptæ, in domo profeſſa Societatis Ieſu , teſtamento legavit. Ad pingendi vero artem quod attinet, ita ejus erat peritus , ut ſe ipſe, ſuam formam in ſpeculo aſpiciens , coloribus ad vivum expreſſerit : acu vero non minus graphice ſciteque pingebat , ea præſertim collaria , quæ tunc uſus frequentabat , pinnis , eleganti opere , acu formatis, obducta ; in quibus elaborandis , Arachnen , atque adeo Palladem ipſam , in contentionem certamenque vocare potuiſſet. credo equidem, ſi quis ejus lateri colum, & in ea linum appoſuiſſet , ut ſubtegmen tenue neret , pro copia ac ſapientia id eum fuiſſe facturum. Quid multa ? adeo virtutibus omnibus abundabat, ut vulgo, flos virtutum appellaretur. At forma, in qua venuſtatis ac dignitatis plurimum ineſſet , ſuis æqualibus anteceſſit , quam , arbitror , fuiſſe cauſæ , ut ejus adoleſcentia aliquanto fuerit intempe-

intemperantior: nam à mulieribus, ultro expetitus, ſibi temperare non poterat. Sed hoc adoleſcentiæ vitium maximis eſt emendatum virtutibus. nam ad eam, quam diximus, Sodalitatem adſcriptus, inſignia pietatis opera amplexus eſt, ac frequentem pœnitentiæ & Euchariſtiæ uſum obtinuit; ſeque in eo, ad extremum uſque ſpiritum vitæ, continuit. Duobus S. R. E. Cardinalibus navavit operam, ab epiſtolis Card. Cornelio, & Card. Auſculi, è Dominicana familia; cujus morte tantum ad eum bonorum pervenit, quantum eſſet, ad vitam honeſte traducendam, ſatis, neque eſſet ipſi neceſſe, inopiæ cauſa, ſuas alteri operas locare. Denique, ex diuturno ſcribendi labore, in renum morbum implicitus, deceſſit. Scripſit librum de elephante, Romæ viſo: ac convertit ex Hiſpano in Italicum ſermonem vitam B. Aloyſii Bertrandi Dominicani. Edidit poëma, de admirabili Corporali, quod Vrbeveteri, ſumma ab omnibus religione, colitur, quod mira quædam, tota Italia, privatim ac publice, religio ſit Corporalis Vrbevetani. quamquam, dolaſſe ſe illud opus, non autem perfeciſſe, fateatur.

XVIII. AVGVSTINVS BARBOSA.

QVantus, in Luſitania, bonis artibus ſemper honor ſit habitus, declarant primum, florentiſſimæ in nobiliſſimis ejus Regni urbibus Academiæ à ſuis Regibus excitatæ, declarant plura Patrum Soc. Ieſu Collegia, ad erudiendam in omnibus liberalibus diſciplinis juventutem inſtituta, Olyſipponenſe, Conimbricenſe, atque alia non parum multa; ac Collegio Conimbricenſi, Ioannes Rex, hoc nomine tertius, uno fere eodemque tempore, regali ſane magnificentia, vectigalium annuorum, quod ſatis eſſet ad ſocios ducentos alendos, attribuit: oſtendit deinde magnus illorum numerus, qui ex Academiis illis, maximarum rerum omnium ſcientia eruditi, ad illuſtranda atque exornanda, doctrinæ ipſorum lumine, præſtantiſſimarum diſciplinarum ſtudia, prodierunt. Neque ſolum ſingulos, qui ſumma ingenii doctrinæque laude præſtarent, ſingulæ ejus Regni urbes extulerunt, ſed ex uno oppido Vimaranenſi, Braca-

Bracarenſis diœceſis, atque adeo ex una Barboſarum familia, plures extiterunt, qui, multarum præterea præclariſſimarum artium ornamentis inſtructi, ſummum juris privati ac publici ſcientiæ culmen attigerint ; ut, quemadmodum in unam arborem plura genera videas, ſic in iſtam domum, multorum inſitam & illuminatam ſapientiam, aſpicias. Ex hac tam generoſa ſtirpe, clariſſimum illud, atque optimis ac præſtantiſſimis refertum fructibus, germen enituit, Emanuel Barboſa, Advocatus regius, qui commentarios edidit in ordinationes regias Luſitanorum. Ex hac eadem, quaſi planta, emergens, patulos longe lateque ramos effudit Petrus Barboſa, ſummus Regis Luſitani Cancellarius, qui, doctiſſimis ſuis interpretationibus, complures Iuris civilis legum nodos, multis atque arcanis inter ſe nexibus implicatos ac conſertos, explicatos ac liberos reddidit. Tertius ab iſtis numeratur Auguſtinus Barboſa, Emanuelis filius ; qui, quamvis generoſus, multos Romæ annos (quæ miſera eſt condicio eorum, qui dant operam literis,) in pannis & inopia vitam exegit. habitavit in taberna diverſoria, anguſto humilique cubiculo, ad Divi Andreæ ad ſepes. non bis, ſed ſemel tantum, in die, cibum capiebat. Ac, ſi eum ex libris, quos edidit, ſpectaſſes, quorum tam magnus eſt numerus, inſignem domi bibliothecam habuiſſe juraſſes, at ne unum quidem ibi librum inveniſſes. memoria erat ſumma, ſingulari, incredibili : hæc erat illi pro bibliotheca ; immo hæc omnes omnium bibliothecas ſuperabat. Quidquid eſt in Vrbe bibliopolarum, arcta ſibi familiaritate devinxerat, non alio vinculo, niſi vitæ probitate atque innocentia, morumque ſuavitate; quibus facile ſe in hominum gratiam inſinuabat. Itaque quotidie, modo in hac, modo in illa, bibliopolæ cujuſpiam taberna, à mane uſque ad veſperam, ſedens, totum ſe librorum, quibus ſibi maximè eſſet opus, lectioni tradebat, quæque legebat, memoriæ cuſtodienda mandabat : cujus tanta erat vis, ut, domum rediens, non ſolum eorum, quæ legiſſet, fixas in animo ſententias, verum etiam verſuum ordinem numerumque referret, literiſque mandaret. Hinc illa ſunt orta volumina, quibus editis, immortalem ſui nominis memoriam

moriam reddidit. Ac primum, prodiit in lucem, opus illud egregium, de officio Episcopi, duobus voluminibus comprehensum: quod tantum habuit commendationis, ut multorum beneficentiam, ad illius inopiam sublevandam, illexerit. Alterum opus, quod non minorem illi famam ac benevolentiam hominum peperit, fuit illud insigne, de jure ecclesiastico universo volumen. quod opus, magno alieno labore partum, in se illum transtulisse, ajunt, hoc modo. die quodam ejus famulus, salsa quædam muriatica in prandium coëmerat, quæ, ne manus digitosque inficerent, tetroque odore imbuerent, cetarius chartis quibusdam, ut moris est, amiciebat: quem postea amictum famulus, domum reversus, cum, præsente domino ac vidente, muriatica illa exuisset, quo in aquam injecta macerarentur, & in terram abjecisset, dominus, curiosus inspiciendi, quid chartis illis contineretur, eas sustulit, ac lustrare oculis cœpit; viditque, elegantissimi doctissimique cujusdam operis initium esse; statimque suspicatus est id quod erat, auctore, antequam potuisset illud impressum typis emittere, è vivis erepto, heredes, ignaros, quantum in eo boni inesset, tanquam ineptas, nescio quas, chartas, & inutiles, cetario vendidisse; & statim magnam in spem venit, auctore è medio sublato, si librum illum quoquo modo nactus esset, pro suo edendo, maximam sibi ex eo gloriam posse contingere: ac percontari diligenter è famulo cœpit, in quonam macello, & à quo cetario, muriatica illa coëmisset. qui aperuit illi omnia, & simul signa & notas ostendit, quibus ad cetarii illius tabernam, sine ullo errore, perveniret. abiit ille curriculo, quo mittebatur; librum invenit, cui paucæ quædam chartæ fuerunt detractæ; ac vili eum precio redemit; tum, subrogatis iis, quæ deerant, ac pluribus etiam aliis adjectis, imprimendum, pro suo, curavit. Quod debet esse exemplo omnibus, qui scribunt, ut dent operam, quantum potest, quo vivis ipsis, sua scripta lucem aspiciant. Hæc ab homine, Barbosæ amicissimo, ejusque arcanorum omnium conscio, accepimus. Edidit deinceps alia plura, de officio Parochi, de Canonici dignitate, Collectanea super Ius canonicum; quæ in volumina quin-

quinque distribuit; Collectanea Concilii Tridentini, aliorumque Conciliorum; disputationes varias; praxin exigendæ pensionis, Collectaneorum ex Codice Iustinianeo tria volumina; denique Vota decisiva. Sed, cum postrema ejus opera, superioribus, nec doctrina, nec methodo, nec sermonis elegantia, responderent, suspicionibus locum aperuisse videtur, illa vel à parente, vel ab altero, gentili suo, emanasse, hæc deteriora ab ejus ingenio esse profecta. Denique, insignem Canonicatum adeptus, reversionem fecit in patriam.

XIX. IOANNES CIAMPOLVS.

IO. Baptista Strozza, cujus modo meminimus, revocavit mihi in memoriam Io. Ciampolum Florentinum, alumnum ac discipulum suum, quem ille eximium habuit, & in quo alendo erudiendoque, plus quam in ceteris sumtus fecit, plus operæ sumsit; nec, ut dicitur, oleum, atque operam perdidit. nam ingenium nactus amœnum ac docile, quasi solum fertile atque copiosum, quæ in illud doctrinarum semina dabat, statim, magno cum fœnore, recipiebat. Eum igitur, Theologia, Philosophia, atque omnibus liberalibus disciplinis instructum, Paulo v Pont. Max. etiam tum adolescentem, Romam perduxit, suaque commendatione multis principibus viris in clientelam & amicitiam tradidit; dedit etiam operam, ut in Academiis, quæ tum celebrabantur, in ea præsertim quæ Humoristarum appellatur, audiretur: unde, tum Io. Baptistæ gratia, tum rerum, quæ ab eo tradebantur, apparatu, tum ætatis formæque bono, quod, cum virtute conjunctum, ad conciliandos sibi hominum animos, magnam vim habet, ab omnibus laudatus probatusque discessit. Cum, omnia scientiarum ac disciplinarum genera in sua supellectili numerabat, tum, Philosophiæ ac poëticæ facultatis dominus ac magister haberi volebat. etenim multa in Philosophia se reperisse affirmabat, Aristoteli etiam ipsi incognita, cujus methodum atque doctrinam, una cum Virgilio Cæsarino aliisque doctis atque illustribus viris, illudebat, ac propemodum nihil eum scisse affirmabat.

In

In verſibus autem faciendis tantum ſibi tribuebat, ut omnes, qui ante ipſum ſcripſiſſent, tum Etruſco tum Latino ſermone, (neſcio an Claudianum exciperet,) rudes, agreſtes, ſine arte, ſine viribus, ſine nervis, ſine verborum ac ſententiarum robore, ajebat, ſerpere humi, nec audere ſe altius attollere. Virgilium vero, ac Franciſcum Petrarcham, eo nomine felices appellabat, quod tot ſeculis principes poëtarum habiti eſſent, cum nihil in eis niſi humile atque vulgare inveniretur, nec comparandi quidem eſſent ad eos, qui, ſua ætate, omnium eruditiſſima, florerent; puta, ad ipſum paucoſque alios ejuſdem ſententiæ. Tantum ſe ab ætatis ingeniique æſtu abripi, & in hæc tam abſurda dicta abſtrahi, ſinebat. Quamquam audivi, paulo ante ſuum è vita diſceſſum, totam ſuæ ſententiæ rationem mutaſſe, eoſque poëtas in veterem dignitatis locum, unde opinione ſua deturbati fuerant, repoſuiſſe. Sed, anteaquam ætas illum expoliret, atque hominem redderet, die quodam, cum per Vrbem rheda veheretur una cum Gaudentio Paganino, viro docto, qui tum in Gymnaſio Rom. literas Græcas docebat, aliiſque eruditis hominibus; occaſione arrepta, cœpit ita in Virgilium & Horatium invehere, ut diceret, nemini unquam iniquius Poëtæ nomen fuiſſe comparatum, quam illis; etenim nullo eſſe homines ingenio, nulla eruditione, nullis literis, &, quod rem continet, nulla inventione, ſed puerorum ſimiles, qui tum primum in ſcholis verſus facere diſcant; contra, ſe, divino quodam munere, omnes ſummi poëtæ numeros fuiſſe adeptum, in quo omnes eæ virtutes conſpicerentur, quarum alii fuiſſent expertes. Quod cum Paganinus ferre non poſſet, ſtomachans, è rheda ſe ejecit, ſermonem ſegregavit, aureſque diris illis, ut ipſe ajebat, maledictis, ne contaminarentur, eripuit, neque deinceps auſus eſt, non modo cum eo de ejuſmodi rebus ſermones inſtituere, ſed ne eo quidem, ubi ipſe eſſet, accedere. Et ſane, quod vere dicere poſſumus, inerat natura poëtica in ejus viri mente quædam: magno animo, ac majore confidentia, ad ſcribendum accedebat: crebræ in eo ſententiæ, inauditæ, quæque venerunt in mentem ante ipſum nemini; tranſlata ingentia, immania,

immania, &, unde nunquam exiſtimaſſes, petita; genus orationis altum, exaggeratum, tumidum, &, tanquam ſi alas habeat, ſe nubibus inferens: verborum compreheuſio ſubobſcura, implicata, ac difficilis ad intelligendum. In quo ipſe ſe decipiebat: nam exiſtimabat, poſſe ſuis carminibus elegantiſſimos modos fieri, eoſque, ſummа cum audientium voluptate, tanquam intelligentiæ cujuſvis obvios, cani. ſed ipſum fallebat eventus: nec injuria: nam, cum leguntur, niſi admodum attendas, atque eos oculis iterum ſæpiuſque ſubjicias, vix intelligas; nedum, modorum nexibus illigatos, ac variis vocum flexionibus obſcuratos, intelligentia devores. Interfui ego, cum in æde, D. Franciſci Stigmatibus ſacra, quædam ejus cantio concineretur. modos fecerat modulatorum optimus: cantores erant, non modo Vrbis ſed orbis terræ principes; magna adhibebatur ab illis cura, ne quid titubarent. ille tum maxima erat apud Vrbanum Pontificem gratia; aderant fratris ejuſdem Pontificis filii: & tamen tanta auditorum admurmuratio, tanti tumultus facti ſunt, cum ſinguli capita inter ſe conferrent, ac variis de rebus fabularentur, ut me illius, cui forte aſſidebam, puderet, ac libenter aliqua evolaſſem, ſi potuiſſem. idque non alia de cauſa, niſi quia illi verſus erant obſcuri, & à vulgi auribus abhorrebant. quamobrem jure poterat à Io. Baptiſta, ſi forte hanc ab eo indolem hauſerat, audire, quod olim tibicen Antigenidas diſcipulo, ſane frigenti ad populum, dixiſſe narratur, Mihi cane & Muſis; mihi cane, & iis, quibus hoc dicendi genus probari intelligis. Omnino, jam inde ab ineunte ætate, inerat in Ioanne magnus æſtimator ſui ipſius, & contemtor aliorum, animus, inerat elatio animi, inerat ambitio. cujus rei, magno illud argumento eſt, quod, etiam tum puer, coram Chriſtiana Lotharingia, magna Etruriæ Duciſſa, auſus ſit caput pileo tegere. nam cum à Ioan. Baptiſta ad eum mitteretur, cum verſibus, quos ipſe feciſſet, ut vicaria Ciampoli voce in aures magnæ Duciſſæ infunderentur, die quodam Ciampolus, quo fortaſſe in circulis & in conventibus amicorum gloriari poſſet, eos ſibi honores habitos, qui nemini, quantumvis ſummo genere nato, concederentur; dicitur commen-

tus fuiſſe, neſcio quas diſtillationes atque gravedines, ob quas diutius ſine magno valetudinis incommodo, aperto capite, eſſe non poſſet; quam ob cauſam, non ſolum pileum, ſed pileolum etiam, cogeretur afferre. at Chriſtianam, ajunt, utpote humaniſſimam, tam cari capitis miſericordia captam, feciſſe homini poteſtatem, ut illud, qua maxime fas eſſet ratione, ab aëris injuria defenderet; qua poteſtate facta, confeſtim ille capiti pileum admovit. at mulier correxit illico, quod ille ſe intellexiſſe minus aſſimulabat; atque, De pileolo, inquit, intelligebam, non de pileo; proinde remove illud à capite, quantum poteſt. Magna igitur ingenii doctrinæque ſuæ opinione imbutus, cũ tota illi Florentia anguſtior, quam ut animo conceptas ſpes caperet, videretur, Romam, unde major ad id ſtatus oſtendebatur, vela dedit. arcem enim orbis omnium terrarum, auguſtius ingenii doctrinæque ſuæ theatrum futurum arbitratus eſt, atque inde ea ſibi præmia proventura, quæ aliunde evenire non poſſent. Placuit Io. Baptiſtæ ratio, & multos annos, ſua pecunia, illius ſumtibus ſuppeditavit. Exceptus in primis eſt humaniſſime à Virgilio Cæſarino, ob voluntatum ſtudiorumque ſimilitudinem, adeo ut ſua illum domo ac menſa communicaret: inſinuavit ſe præterea in aliorum principum virorum conſuetudinem & gratiam. in his Maphæum Cardin. Barberinum, qui poſtea, Gregorio XV extincto, Pontificiam D. Petri cathedram obtinuit, literarum elegantia ſibi promeruit; ſed Aldobrandinos Principes, arctiori benevolentiæ nexu, habuit obſtrictos; quorum auctoritate & gratia, à Gregorio XV, cui arctiſſima ſe familiaritate implicaverant, obtinuit, ut Gaſpari Pallonio, in ſcribendis Pontificiis Latinis epiſtolis, quas brevia vocant, ſufficeretur. quæ res magnam ſibi omnium admirationem excitavit; non enim Latinæ ſcribendi laus admodum ab eo expectabatur, qui omnem fere ætatem in Etruſca poëſi conſumſerat, nullum autem tempus Latinæ eloquentiæ dederat. Sed ſingularis magnitudo ingenii non deſideravit longum, ad ſe perficiendum, in ea quoque ſcribendi conſuetudine, ſpacium. nam brevi, tantam verborum copiam, tamque eximiam ſcribendi vim

eſt

eſt adeptus,ut frenis potius,quam calcaribus, indigeret; nam ſæpenumero, ab æſtu ingenii ſe abripi, ac longius abſtrahi ſinebat, quam brevium ratio depoſceret. In eo munere factus eſt Baſilicæ Vaticanæ Canonicus. Sed non potuit effugere ingrati erga Io. Baptiſtam hominis ſpeciem. nam, cum divitiis affluueret, neque quoquam indigeret, Io. Baptiſta, quod illi erogabat, aliorum adoleſcentum ingenuorum uſibus deſtinaverat: quod ille ferens indigne, tanquam ſibi debitum, non autem alterius benignitate traditum, perſecutus eſt litibus. Sed,poſt Gregorii mortem, Vrbanus VIII non ſolum illi, commiſſam à Gregorio provinciam conſervavit, ſed etiam intimi ejus cubicularis honorem addidit, atque adeo intimum eum habuit;ut omnia fere illi conſilia crederet,& ſibi, cum ſatietas hominū aut negotiorum odium ceperat, amicum ac ſocium adhiberet, in cujus ſermonis ſuavitate,omnes animi ſolicitudines curaſq; deponeret. Verum,nullum eſt cuiquam proprium bonum, nulla perpetua felicitas.nam,cum in tanto eſſet honore & gratia,ac, prioris vitæ oblitus, ita veteres amicos deſpiceret, ut ſalutantes non reſalutaret, repente de tanto gratiæ faſtigio corruit; neque ſolum ab aula eſt, verum etiam ab Vrbe, honoris ſpecie, ſummotus. nam plures illi urbes, adminiſtrandæ, ſunt traditæ, ac demum Aëſis prætor eſt mortuus. Quam autem intoleranter Vrbis deſiderium ferret, ſatis dici verbis non poteſt; ſed nullis amicorum precibus, nulla valetudinis, qua maxime adverſa utebatur, excuſatione impetrare potuit, ut Romam reverteretur. Cauſæ, quæ tantam illi invidiam conflarint, multæ afferuntur, ſed eæ in primis; nimia loquendi libertas, intimæ atque apertæ cum iis amicitiæ, quorum voluntates ab iis, quorum ipſe tempori inſervire debebat,alienæ exiſtimabantur; ac demum, quod mores vultuſque nonnullorum, mimica prope ſcurrilitate, imitaretur exprimeretque,quos æquum erat illum vereri atque metuerē. In illis provinciis adminiſtrandis,multum illi ocii ad ſcribendum commentandumque ſuppeditatum eſt. quo ocio diffluens,complura egregie,tum ſoluta oratione tum verſibus, ſcripſit; quæ, nondum edita, Regi Poloniæ, teſtamento legavit.

XX. Eques THEODORVS PORTA.

EQues Theodorus Porta natus eſt Sebaſtiano Porta, Veneto, pictore eximio, ex eorum numero, qui Pontificiis diplomatibus bullas plumbeas, quæ ex illis dependent, affigendas curabant; quem ordinem Xiſtus Quintus ſuſtulit. Fratrem habuit Phidiam Portam, ſed alia matre, uno patre; qui magna vi ingenii præditus, potiſſimis literis excultus, in agendo, in comœdiis, deliro atque amatore ſene Veneto, admirabilis, cum ſacram Pont. Max. pecuniam ſurripuiſſet, ac Venetias perſequeretur, ex fuga retractus, ſupplicio affectus fuerat, una cum aliis novem, amiciſſimis ſuis, haud obſcuro loco natis, non modicis opibus, doctis præterea viris, quorum alii erant juriſconſulri, alii medici, alii philoſophi ac poëtæ. Hi primum, animi cauſa, cœperant, noctu carnes, è feneſtris appenſas, ut hœdos, pullos gallinaceos, meleagrides, phaſianos, ſurripere, ex eiſq; deinde convivium inſtruere, ac magno cum riſu celebrare: ſed paulatim, ab hoc aditu januaque patefacta, progreſſi ſunt longius, ac maximis ſeſe furtis implicaverunt; quibus evicti, magno cum ſuarum familiarum dedecore, in ipſo ætatis flore, pœnas legibus dederunt. Quod, adoleſcentibus præſertim, debet eſſe exemplo, ne, ex ſapientis conſilio, minima contemnant; quod ex iis ad majora aditus fiat. At Theodorus, ſive ex fratris ſupplicio, Vrbis pertæſus; nam vix ſibi honeſtum putabat, in ea urbe conſpici, ubi recens ille tanta fuerat ignominia affectus; ſive alia de cauſa, profectus eſt in Germaniam, ubi plures, nobilium præſertim, ſibi amicos, paravit, ac fecit ſuos; tum, paululum extantium ac prominentium ſignorum artificio, quo ille præſtabat, quorum ſignorum nonnulla, ut ipſum poſtea Romæ dicere audivi, obſcœno turpique argumento elaborata, mire eorum animos ceperant, tum eleganter ſaltandi arte, in qua Romæ & in Italia, apud peritiſſimos ſaltatores, ſe exercuerat, atque ibi fortaſſe militaris Germani hominis par-

partes in comœdiis agere didicerat; quas, tanta cum venuſtate, tamque ad ſimilitudinem veri, perſequebatur, ut in eo genere ne excogitari quidem perfectius poſſet. Sed, non ita multos poſt annos, reverſus in patriam, nobilium virorum ac doctorum hominum familiaritatibus ſe dedit, eaſque, & ea qua præſtabat arte, & linguæ volubilitate & elegantia, tutabatur. Cum autem, à Clemente VIII, Henricus Card. Cajetanus, ad Regem Poloniæ mitteretur, legationis jure ac nomine, dedit operam, ut in ejus comitatu eſſet; atque impetravit. Ac poſtea nulla erat voluptas major, quam audire ex eo, quæ, in ea legatione, mira contigiſſent; concurſus populi, equitatus, ac pompam, qua legatus exceptus fuerat, ejuſdem congreſſus cum Rege, colloquia inter ipſos habita, conviviorum apparatus, cœnarum magnificentiam, vinorum, quæ ille ex Italia advexerat, varietatem & copiam; ut non alia in iis epulis vina biberentur; quæ Poloni illi, quibus haud ſæpe tales hereditates obvenirent, in ſeſe avariter ingurgitabant; adeo ut monſtri illis ſimile videretur tantam vini exotici pretioſiſſimi vim, in ſingulis cœnis ac prandiis, ac tam large diffundi. atque ejuſmodi alia commemorabat; quæ etiam majora, verbis, faciebat; quibus ita erat abundans, ut, ubi ipſe eſſet, confeſtim ſilentium, tanquam ſi in aliquo manifeſto ſcelere deprehenſum eſſet, exulatum abiret, atque ſolus, quaſi in poſſeſſionem ſuam veniſſet, omnium aliorum partes orationis exequeretur. At fiebat interdum, ut nos, animi relaxandi gratia, in iis ædibus, quo Academia Humoriſtarum convocabatur, tres, omnium fere mortalium loquaciſſimos, ſimul componeremus, & tanquam in aliquod contentionis certamen deduceremus; hunc, Henricum Falconium, & Giſmundum Boldonum. eramus enim vehementer cupidi, cognoſcendi, quiſnam certaminis victor diſcederet. atque erat ridiculum, videre, quemadmodum alius alii obloqueretur, ut, incipientem unum dicere, interpellaret alter, nec loqui ſineret, ille contra obſiſteret, & inſtitutam orationem perorare contenderet. denique finis fuit ejuſmodi, ut nemo arma ſummiſerit, nemo aliis, ne tantulum quidem, de ſermonis celeritate, & dicendi

gloria, conceſſerit, nos vero incertos animi dimiſerit, cuinam ejus certaminis palma deferenda eſſet. Decoratus eſt poſtea à Paulo v honorariis Luſitaniæ Chriſti militum inſignibus, ideo, quod ſua eloquentia allaudabilem operam dediſſet, ut cognatus quidam ſuus ſigna pulcherrima, quæ habebat, Burgheſio Principi venderet. Tum cernebatur novus hic miles, cinctutus, per Vrbem incedere, iiſque, qui obliquis ipſum oculis auſi eſſent aſpicere, formidinem ac terrorem injicere. Sed, quantam illi, ejuſmodi honoris gradus, imminiſerit in ventrem, confidentiam, quantum animi ad præliandum dederit, oſtendit die quodam, Romæ in lanio, ad forum Panici; à quo cum vitulinam carnem emeret, eamque ad pondus non reſpondere diceret, contra lanius, falſum eum eſſe, nec vera loqui, aſſereret, ille iratus, animo, quem ſibi Mars, nuper ad militiam illam adſcripto, immiſerat, gladium eduxit, atque ibat, ut lanium transverberaret, vel in terrorem fugamque conjiceret. at lanius, qui probe hominem noſſet, ſumta haſta, qua carnem ex carnario detrahebat, plures in partes gladium eidem comminuit; ille autem capulum, & vaginam gladio vacuam, domum retulit. Recitavit, in Academia Humoriſtarum, verſus à ſe facetiſſime ſcriptos, ac ſermonem habuit luculentum, de rebus, niſi memoria me fugit, ad pingendi cælandique artem pertinentibus. Sed demum, paucorum dierum morbo, eſt ſublatus è vivis.

XXI. BELISARIVS BVLGARINVS.

PRæclare atque ſapienter, à viro docto atque prudenti, dictum cuidam fuiſſe narratur, qui, magna vi animi ac vocis, neſcio quem, ſummis in cælum laudibus efferebat; Quæſo, inquit, parce voci; cedo, quibuſnam ille amicis utatur; ita enim & tu laborem, hunc laudandi, lucri feceris, & ego, quo loco ac numero ille ſit habendus, oſtendam. Quod ſi vir hic, tam ſcitus ac prudens, Beliſarii Bulgarini amicorum nomina ſibi edi

edi poſtulaſſet, quibuſcum ille conjunctiſſime vixit, ut conjecturam ex eis de illius virtutibus faceret, continuo omnes hujus ætatis præſtantes ſapientia viri enumerarentur, quorum clariſſimas, in omni genere literarum, laudes nulla unquam obſcurabit oblivio. Ac primum, ex ſua ipſius patria nominarentur illa bonarum artium lumina, patriæ decus, Italiæ ornamentum, Franciſcus Piccolomineus, Angelus Spannocchius, Diomedes Burgheſius, Celſus Cittadinus, qui etiam dialogum ſuum, de origine uſus, quo, plurali numero, ſingularis perſona cœpta eſt appellari, ex illius nomine, Bulgarinum inſcripſit; eques Bargaglia, qui in illis ſuis nunquam ſatis laudatis Dialogis, de Impreſis, interlocutorem eum adhibuit; Hieronymus item Bargaglia, Horatius Lombardellus, aliique, qui aliquod in literis nomen habuerunt. Extra illam urbem alii etiam ſe offerent, & in Beliſarii amicorum numero ſe fuiſſe, gloriabuntur, ii, de quorum virtutibus nullæ unquam literæ ſilebunt, nulla ætas conticeſcet; Torquatus nimirum Taſſus, Eques Baptiſta Guerrinus, Robertus Titius, Io. Baptiſta Strozza, Antonius Riccobonus, aliique illuſtres viri, in illius amicitiæ ſocietatem veniſſe oſtendent. Sed eximia quædam virtutis vis, modicis Italiæ regionibus circumſcribi non poſtulat, ſed, foras egredieus, maria tranſmittit, Alpes tranſcendit, ac longe lateque ſeſe diffundit. ideo Bulgarinus tranſalpinos etiam in ſui amorem & admirationem attraxit; in his, Saturninum Simonium, Gallum, Iuriſconſultum præſtantiſſimum; qui etiam librum illum ſuum, de literis pereuntibus, anno CIↃ IↃCI. typis impreſſum, apparere in Beliſarii nomine voluit. & ex hoc cum exteris nationibus, ob communium ſtudiorum ſocietatem, uſu amicitiaque, plures eorum linguas apprehenderat: itaque, ad ſermonem Etruſcum, quem profitebatur, & Latinum, cujus erat intelligentiſſimus, Græcum, Gallicum, & Hiſpanum adjunxerat. Neque quiſquam erat liber, quovis fere ſermone conſcriptus, quin legiſſet, ex eoque unumquodque, quod eſſet notatione dignum, excerpſiſſet, & in ſua adverſaria tranſtuliſſet. Præter hæc humaniſſima politiſſimarum artium ſtudia, omnibus erat diſciplinis inſtructus, Theo-

logia, Philoſophia; neq; aberat Medicinæ notitia. Quantum vero in poëtica facultate, & in excogitando inveniendoque, æqualibus ſuis præſtaret, primum, plura ejus carmina declarant, omnium earum linguarū, quas notas illi fuiſſe diximus, genere ſcripta, & in Academiis, quas partim ipſe inſtituerat, ut Accenſorum, partim, extinctas, in lucem revocaverat, ut Inthronatorum, cum plauſu recitaverat; tum, comœdiæ, & in his ea, quæ Permutationum nomine vocatur, oſtendunt; quas ille feſtis Bacchanalibus, ut à diſcipulis Gymnaſii Senenſis ederentur, ſcribebat. Deinde, nullum nobiles, ſuæ civitatis, viri ludicrum armorum certamen dabant, quin illis libellos, quibus decertantes, ſimulatis inter ipſos inimicitiis, ſe invicem ad pugnam provocabant, effingeret. Præterea, in diurnis nocturniſque virorum mulierumque nobilium conventibus, nemo erat, qui illum ingenio anteiret, in reperiendis novis ludorum generibus, quibus horæ illæ honeſte hilariterque traducerentur. Coactus eſt mandare typis animadverſiones ſuas in illud Iacobi Mazzoni Cæſenatis opus, quo Dantis, divini ut ipſe vocat, hominis comœdiam, ab iniquorum calumniis vindicare conatur, quas animadverſiones, Horatii Capponi, Carpentoracti Epiſcopi, rogatu conſcripſerat; in quas furtim alius invaſerat, ſuoque nomine, hoc titulo inſcriptas, ediderat, nimirum, *Brevis atque ingenioſa, contra Dantis opus, diſputatio.* At liber ille, multorum deinceps operum, quæ à Belliſario prodierunt, quaſi ſementes ac materies extitit. nam is, qui literarii illius ſe furti obſtrinxerat, cum manifeſto teneretur, cecinit palinodiam, eamque, una cum apologia, adverſus ea quæ Belliſarius Danti objecerat, edidit. Secutus eſt Hieronymus Zobbius Bononienſis, qui, lectis iis quæ circumferebantur, ſuam voluit de illis ſententiam interponere; atque anno CIↃIↃLXXXIII, librum in vulgus emiſit, cujus erat titulus, *Dantes & Petrarcha, ab Hieronymo Zobbio defenſi.* At Bulgarinus, hac nova Dantis defenſione à Zobbio ſuſcepta, quo magis ejus, à quo expilatus fuerat, furtum illuſtraretur, alterum Senis librum imprimendum curavit, quo ea continebantur, quæ Horatii Capponi reſponſionibus, ad quatuor primas ſua-

rum

rum in Mazzonum animadverſionum particulas, replicaverat. nam deinceps, ut eas componebat, per partes Cappono mittebat; quibus ille, multa pro Dante afferens, reſpondebat; contra Belliſarius Capponi dicta confutabat, & à Dantis defenſione repellebat. Tertio opere, ſcripſit contra prædictam Hieronymi Zobbii diſputationem, de Dantis comœdiis, atque alteram illius eorum, quæ dixerat, defenſionem. Quarto libro, reſpondit palinodiæ, & apologiæ illius, qui honorario eum furto, ſuis in Dantem animadverſionibus, ſpoliaverat, ſeque illis exornaverat. Huic operi ſucceſſit quintum, quo, Particulis poëticis, pro Dantis defenſione à Zobbio diſputatis, patrio ſermone reſcripſit. Cum autem Iacobus Mazzonus, primam ejus voluminis partem in hominum conſpectum lucemque protuliſſet, in quo pro Dantis Comœdia acriter vehementerque propugnat, factus eſt ſexto operi locus, hoc titulo, *Belliſarii Bulgarini, Aperti, Academici Inthronati, notæ ad primam Dantis defenſi partem Iacobi Mazzoni.* Poſtremo, tota hæc de Dante concertatio ſeptimo concluſa eſt libro, adverſus manu ſcriptum, ad Dantis defenſionem pertinens, falſo Speronis Speroni nomine prolatum. Ne multis morer, finis fuit ejuſmodi, ut Bulgarinus certaminis victor diſcederet, cum, certiſſimis validiſſimiſque rationibus, adverſariorum copias, pro Dante propugnantes, profligaſſet, obtinuiſſetque, illius comœdiam, veram poëmatis cujuſpiam rationem non habere, quod ab Ariſtotelis præceptis longiſſime aberraret. Idque eo fuit mirabilius, quod ab eo docti eruditique viri laus non admodum expectabatur, qui in occupatiſſimo vitæ genere erat, atque perpetua magnæ ſplendidæque familiæ, in qua, præter fœminas, duodecim mares filii numerarentur, cura continebatur. ex quibus nullum ſe unquam religioſæ cujuſpiam familiæ numerum auxiſſe gloriabatur; quod puſilli atque humilis eſſe animi diceret, liberos intra religioſorum hominum clauſtra compellere, quo quis ſe eorum alendorum inſtituendorumque ſolicitudine ac ſumtu levaret: ſed fœminas locupletiſſimis viris collocaverat, ex maribus autem unumquemque, pro cujuſque libidine, animum

ad aliquod honeſtum ſtudium paſſus erat adjungere, alios ad literas, quorum ſumtibus Patavii, Bononiæ, Romæque, prout ejus facultates ferebant, ſuppeditabat, alios ad militiæ ſtudia, alios ad ſummorum Principum, nempe Sabaudiæ, Parmæ, aliorumque Ducum, aulas: deinde, privatorum negociis pene omnibus, quorum lites dirimebat, diſcordias ſedabat, inimicitias componebat, affinitates conciliabat, diſtrictus, ac Reip. ſuæ procuratione, in qua ſæpius omnes magiſtratus geſſerat, implicitus tenebatur. Itaque, propemodum miraculo adſcribendum videtur, quod, in tantis occupationibus, tantam vim rerum cognitionemque fuerit complexus. At, præter ea quæ diximus, multa etiam alia, ex uberrimi illius ingenii fonte manarunt; ſed, in tenebris abdita, non adhuc in communem hominum lucem prodierunt; præter pauca quædam poëmatia, tum edita, cum Coſmus, magnus Dux Etruriæ, una cum Maria Magdalena Auſtriaca, ejus uxore, Senas veniſſent. Omnino ad ſtudium Impreſarum, quas vocant, à natura ſe ferri ſentiebat; quarum plures & illuſtres referremus, niſi alio properare cogeremur. Demum, eum ad locum, quo res omnes ortæ tendunt, iter arripuit, plenus annis, ac laudibus: quod eleganti ſymbolo eſt exprimere conatus Academicus quidam, Lucarino nomine; qui onerariam navem, precioſis refertam mercibus, è portu vela dantem, effinxit, cum hoc dicto, *Solvit onuſta.*

XXII. IO. BAPTISTA BARTOLVS.

NVnquam, ex corporis ornatu, aut ex aliqua alia re externa, exiſtimare de hominum ingeniis vel facultatibus licet. Quam multos ſæpe videas, purpura auroque fulgentes, in quibus, ſi introrſum eos aſpicias, omnia ſint pecudis forte ſimiliora, quam hominis! contra, quam multos ſæpe pannis anniſque obſitos cernas, in quorum pectora ſi oculorum aciem poſſes intendere, omnia in eis præclariſſimarum maximarumque artium ornamenta intuereris! Vt vere, à viro docto atque prudenti, ſit dictum, ſæpe ſub ſordido palliolo latitare ſapientiam. Neque itidem, ſi ſe tibi quiſpiam ſordidatus,

vel

vel alter precioſis indutus veſtibus, offerat, continuo, illum Irum, hunc Crœſum affirmes. Sæpe enim incidi in quoſdam, qui elegantem ac divitem corporis cultum contemnerent, intus exultantes animo, quod domi arcas, multo auro argentoque refertas, haberent. novi item alios non parum multos, qui foris portabant, quid rerum? aurum, veſtem ſericam, gemmas annulis inclusas, in eorum autem ædibus, nihil quæſti erat furibus; ita erant inaniis oppletæ. Quod ſi, ut diximus, ex iis quæ ſub aſpectum cadunt, fas eſt affirmare de iis, quæ ſunt ab aſpectus judicio remota, quemadmodum vulgus imperitorum facit, qui non ex re, ſed ex eo quod oculis concipit, metiri homines ſolet; profecto, Io. Baptiſta Bartolus, inter rerum omnium ignaros, atque ad mendicitatem redactos, referatur oportet: qui veſtitu adeo obtrito, adeo lacero, adeo obſoleto, utebatur, ut propemodum nihil differre videretur ab iis, quos ante ſacrarum ædium fores, vel per Vrbem, ire ad ſaccum, neceſſitas jubet. Sed longe aliter res ſeſe habebat. nam primum, ad inſcitiam quod attinet, adeo nullius fere rei erat rudis, ut maximarum præſtantiſſimarumque artium ſcientia pectus refertum completumque geſtaret. nam & Theologiæ & Philoſophiæ præceptis animum exornaverat; ac medendi arte ita præſtabat, ut paucos haberet pares, ſuperiorem fortaſſe neminem: quod in eo declaravit, cum virum nobiliſſimum, & ſummum in Vrbe magiſtratum gerentem, ex acerbiſſimis podagræ doloribus, quibus excruciabatur, eripuit, atque adeo ad ſanitatis terminos, unde eum vis morbi abſtraxerat, revocavit, ut nulla deinceps morbi ejuſdem violentia inde abripi, & ad veterum cruciatuum ſcopulos abſtrahi impellique potuerit. quod factum, ita novum, ita ſupra naturæ vires eſt viſum, ut reus necromantiæ, apud Quæſitores fidei, coactus ſit cauſam dicere; ſed non ita multo poſt exemtus eſt è reis, viri illius nobilis opera, quem nodoſæ vinculis podagræ exſolverat; à quo rogatus eſt, ut Roma diſcederet, atque aliam urbem perſequeretur; quoniam videbat, fore, ut, eadem de cauſa, in jus ſæpius vocaretur. Chimicæ arti aſſiduam ac diligentem operam dedit. Sed quæ ars alios,

ſui

ſui ſtudioſos, detrudere ad mendicitatem ſolet, hæc illum, ut declaravit eventus, ad ingentes divitias perduxit. nunquam tamen propterea, ex pannoſis illis laceriſque veſtibus, quibus obvolvebatur, emerſit: ut, cum, die quodam, chimicæ artis utilitates fructuſque in cælum verbis efferret, & innumerabilem ex ea pecuniam confici poſſe contenderet, quidam, qui ſermoni aderat, in riſum effuſus, Si res, diceret, eſt ita ut blateras, cur hic tibi ornatus eſt? cur hi panni? cur hæ ſordes? cur, illis in malam rem, quantum poteſt, abjectis, non earum loco precioſiſſimas, ac perquam optimas, ſumis? Cui ille, Næ tu, ait, homo es ridiculus, qui iis, quæ tibi oculi perſuadent, fidem habes; ſi multis tibi aureorum millibus ſit opus, neque habeas unde ſumas, ab iſtis pannis ac laceris veſtibus, quas vides, ea ſunt tibi petenda; nam continuo nummi illi, tanquam lymphatici, ex illis eruptionem facient, & curriculo ad te pervenient. At ille irriſor, quia erat in primis dives ac nobilis, noluit ejus rei periculum facere. Sed, utut res ſeſe haberet, illud eſt certum, magnam liberis pecuniam teſtamento reliquiſſe, ab eoque, lethali morbo correpto, jam profectionem ad orcum adornante, intermortuas has voces fuiſſe exceptas, ſe in æternas inferorum ſedes, perpetuis excruciandum ignibus, dari, quod nimis ad rem attentus fuiſſet, quo, contra jus faſque, magnas liberis divitias relinqueret. Summus erat aſtrologus; &, in primis, Chaldaicis literis eruditus, ex affectione cæli, qua primum ſpiritum duxerat, quo die moriturus eſſet, ſibi prædixerat, multa etiam arcana didicerat, quæ tacita tenebat, neque cum quoquam communicabat.

XXIII. FRANCISCVS ARCVDIVS.

MAgnam in ea cæli, in quo quiſque primum vitæ ſpiritum hauſit, parte vim eſſe, ad præclara hominum ingenia procreanda, non ſolum veriſimile, ſed certum atque exploratum videtur. Cui non eſt notum, uno in loco, ex aëris gravitate, homines pingues, hebetes, tardos, in alio, ex ejuſdem aëris temperatione, acutos,

acutos, perſpicaces, celeri ingenio, naſci? Quod etiam animadvertere licet in plantis, quæ, in quibuſdam terræ regionibus ſatæ, ex cæli ſolique illius natura, præſtantiones ſuccique melioris fructus ferunt, in aliis, deteriores inſulſioreſque producunt. Quæ cum ita ſint, quid mirum eſt, ſi ea Græcia, quæ olim magna vocitata eſt, & adjunctæ illi regiones, egregios homines, quique eſſent omnibus admirationi, fere ſemper extulerint? Nonne fatendum eſt, eos, ex cæli illius præſtantia, non nihil arripuiſſe, quo tanquam ſemine imbuti, illos ex ſeſe tam admirabiles fructus efferrent? Ac, ſi quis temporum memoriam, jam inde uſque à Pythagora, repetat, qui eam partem Italiæ tenuit, & ad quem Plato, diſcendi cupidiſſimus, veniſſe dicitur, omnemque Pythagoræorum diſciplinam penitus cognoviſſe, omnibus fere ſæculis multos, tum ad Remp. adminiſtrandam, tum ad bella gerenda, tum ad literarum ſtudia, id quod in præſentia quærimus, aptos, atque à natura factos, inveniet. atque, ex pluribus, quos noſtra vidit ætas, ſe in primis offerent, Vincentius Laurus Cardinalis Montis regalis, Coriolanus Martiranus S. Marci Epiſcopus, Antonius Lilius, Paulus Bombinus; qui ingenio, eruditione, doctrina ſingulares, Cardinalium Collegium, Pontificiam dignitatem, Italiam, atque adeo totum terrarum orbem, non fluxis atque caducis, ſed ſolidis, & cum æternitatis ſpacio duratione certaturis, ingenii ornamentis condecoraverunt. In hunc numerum ac cœtum, jure ſe infert Franciſcus Arcudius, Soliti natus, ſatis ex ſe ipſe notus ac celebris; ſed, quia parentum virtutis claritas redundat etiam in liberos, ac non nihil eiſdem ſplendoris arceſſit, Antonii Arcudii, docti hominis, & Soliti Archipreſbyteri, filius; quod non debet nos commovere, neque cogere, nihil rectum, niſi quod noſtris moribus convenit, putare; nam Græcis ſacerdotibus licet, uxores habere, atque ex eis liberos procreare; at, noſtris moribus, nefas habetur. Qui Antonius librum compoſuit, novi florilegii nomine inſcriptum, quo preces horarias, ſatis effuſas, ad uſum ſacerdotum Græcorum, ambitu anguſtiore concluſit. qui liber ab orientis eccleſiis exploditur

ac re-

ac rejicitur; ſolum eo utuntur monachi S. Baſilii, cœnobii Cryptæ ferratæ, cum faciunt iter, vel abſunt à cœnobio. Dedit operam literis, tum Græcis, tum Latinis, Romæ in Collegio Græco, una cum Leone Allatio: Rhetoricæ magiſtros habuit Alemannum, & Iaſonem Sozomenum; quibus doctoribus tantum profecit, ut Græce Latineque optime loqueretur & ſcriberet, &, in utraque lingua, elegantiſſimos verſus efficeret. Philoſophicas vero Theologicaſque diſciplinas, à Patribus Dominicanis accepit, ac, decurſo eorumdem ſtudiorum curriculo, ſacris initiari, Latinorum ritu ac moribus, voluit; ſtatimque, ſacerdos factus, memor patriæ, memor parentum, ſuos ad penates ſe recepit, ubi, docendo inſtituendoque, magnæ popularibus ſuis utilitati atque uſui fuit; quibus etiam Sacramentis frequenter adminiſtrandis, non minimum profuit. Verum habet hoc eximia virtus, ut exiguis loci unius terminis includi non poſtulet, ſed latum campum, in quo excurrat, efflagitet. ſed nullus ita late pateus eſt campus, nullum majus, ingenii declarandi virtutiſque demonſtrandæ gratia, theatrum ea Vrbe, quæ merito arx orbis terrarum, rerum omnium, quæ ubique ſunt in admiratione, compendium, omnium nationum perfugium, communis patria, ſemper eſt dicta; videlicet Roma. Illa exquiſitos, in omni genere artium maximarum, magiſtros advocat, amplectitur, detinet; mediocres, ne dignatur quidem aſpicere: illa, clariſſima virtutum lumina, ſuo in gremio, tanquam in aliquo cælo, ad orbem terrarum illuſtrandum complendumque conſtituit. Ea igitur Franciſci doctrina, ea virtus, ea probitas, tanquam divini vi numinis, impulſa eſt Romam. Advenientem Franciſcus Cardinalis Barberinus, tum rerum dominus, benigne atque humaniter excepit, ad numerum ſuorum familiarium adſcripſit, in poſtremis non habuit; ſed, quia majore eum provincia dignum exiſtimavit, quam ut aulici ſolum munus impleret, epiſcopatum Nuſci, quod eſt oppidum in Regno Neapolitano, deferendum illi curavit. ubi omnes optimi Pontificis partes exequens, celerius quam ejus ætas poſcere videretur, eſt mortuus.

XXIV. IVLIVS MANCINVS.

IVlius Mancinus, Senenſis, honeſto quidem ſed humili loco natus, cum, etiam tum juvenis, rixatus cum quopiam eſſet, ac propterea compactus in carcerem, ſimul ac dimiſſus eſt, patria ſede relicta, Romam commigravit, commodum, cum, in noſocomio S. Spiritus in Saxia, de novo medico in demortui locum ſubrogando deliberabatur; &, quia locus ille ab omnibus fere medicis, qui erant in Vrbe, ſumma ambitione expetebatur, decretum fuerat, ut res in certamen deduceretur, eique munus illud decerneretur, qui, interrogatus de quæſtionibus, ad rem medicam pertinentibus, aptius ceteris reſpondiſſet. Quamobrem Patritius Patritius, vir, & generis nobilitate & vitæ ſplendore, tota Vrbe, clarus ac nobilis, ad quem literas commendaticias ab amicis acceperat, Si maturius, inquit, ad Vrbem veniſſes, ac longius ſpatium, ad te comparandum, nactus eſſes, facile poteras, una cum aliis, in illud ingenii doctrinæque diſcrimen contentionemque venire. At ille, irridens, Quid mihi, ait, opus eſt ſpacio ad me comparandum? hem, nunc, ſi libeat, poſſum. Nec mora; ita ut erat ocreatus, certamini ſe objecit; factumque eſt, ut victor inde diſcederet, ſtatimque decretas medico, ad habitandum, ædes ingrederetur. Quod fuiſſe arbitror cauſæ, ut ad mulierem, quæ habitabat ibi viciniæ, ſe inſinuaret, ſeque intimum apud eam faceret; quæ bibliopolæ cuidam nupta erat, ac tres habebat liberos, ſcelerum omnium principes, quos plus millies, auctoritate & gratia, qua pollebat, ſuſpendio eripuerat. Hanc ille mulierem, formæ dignitate atque preſtantia, Europæis mulieribus omnibus anteponebat: verum, in qua, præter corporis proceritatem, nihil unquam elegans ſpectator formarum laudavit; ſed, quemadmodum Catullus de Quinctia dixit, *nulla erat, in tanto corpore, mica ſalis.* At, quamvis tam mirificis eam laudibus in cælum efferret, quamvis ejus amicitiam uſque ad extremum vitæ ſpiritum conſervarit, quamvis opibus ac divitiis affluereret, nihil illi in morte reliquit, quo vitam parce ac duriter

duriter ageret, ut, in morbum paulo poſt ejus mortem conjecta, neceſſe habuerit, in valetudinarium S. Rochi confugere: ubi diem obiens ſupremum, ſuis amicum ac laudatorem ſuum veſtigiis, quo ille anteceſſerat, eſt proſecuta. Verum, illuc redeo, unde abii. Magnam ejus certaminis, de quo diximus, victoria apud alios medicos invidiam illi conflaverat. itaque, ex compacto, id unum omnes agebant, ut invenirent aliquid, quo de eo illum loco dejicerent, quem ſua fuerat virtutute adeptus: atque, apud hoſpitalis ejus domus Præceptorem, cœperunt eum accuſare, quod celerius, quam alii medici, ægros, ac raptim, inviſeret, ut, cura illa expeditus, poſſet attentius ſuis dare operam negociis. quamobrem, in quoddam multorum ejus familiæ concilium à Præceptore vocatus, reprehenſus eſt acriter, quod negligenter, & cum ægrotantium pernicie, ſuſceptum à ſe munus obiret. at ipſe interritus, memoriter ægrotos omnes, fidei ſuæ commiſſos, à primo ad ultimum proferens, narravit, unde domo unuſquiſque, qua ætate, quo genere vitæ eſſet, quo morbo, & à quo die, laboraret, quam curationis rationem adhibuiſſet, quamque adhibiturus deinceps eſſet ſingulorum morbis, præſenſiones, aliaque, unicuique eorum magis propria atque præcipua; quibus, magna eorum, qui audierant, cum admiratione prolatis, malevolorum obtrivit invidiam. Deportaverat Romam ſcuta bis mille; quæ ſtatim, uſuris centeſimis, fœnori dedit, eo contractus genere, quod officii ſocietatem appellant. atque ex his fructibus, eaque pecunia, quam ipſe labores per ſuos invenerat, eoque, quod comparſerat, miſer, ſuum defraudans genium, nam ſordido vitam pane oblectabat in pannis, ſexaginta & eo amplius aureorum millia confecerat: ex quorum fructibus, poſt illius mortem, Senis, tot adoleſcentes ex ea civitate, qui dent operam Iuri civili, Medicinæ, vel Philoſophiæ, aluntur, quot poſſint ex eis ſinguli quina, vel ſummum ſeptena, ſcuta, quot menſibus capere. neque fuit illi conſilium, in Collegii eos formam redigere, quod ſe nolle ajebat, Rectoribus, Subrectoribus, condis, promis, ac procuratoribus peni, cibum ſuppeditare. In prædictionibus longo multumque

tumque præſtabat; ac, ſimul ac ægrum inviſerat, ſtatim, quem exitum morbus ille eſſet habiturus, divinabat. Sed nulla verborum humanitate ægrum ſublevabat. nam vix tria illi vel quatuor verba eloquebatur, pulſum tentabat, num æqualiter in eo venæ micarent, linguæ digitum, ſtomacho manum admovebat; tum, quid illi in cœnam vel in prandium dandum eſſet, imperabat: ſed in primis oculos per cubiculum circumferebat, &, ſi quam ibi egregie pictam tabulam aſpexiſſet, continuo adamabat; nam erat rerum iſtarum intelligentiſſimus; dabatque operam, ut in ſuam poteſtatem perveniret. neque id ſibi erat difficile impetrare ab eo, qui ſuam ipſi ſalutem vitamque commiſerat: ab aliis eas tabulas quam minimo emebat, ut cariſſime venderet: atque, in hoc genere mercimonii, magno cum lucro vortebatur. Philoſophiæ in primis ſtudium ſuum dederat: neque erat Philoſophus ex eorum numero, qui in ſcholis, ſpinoſis contortiſque diſputationibus, id agunt, ut adverſarium, breviter arguteque concluſo argumento, decipiant; ſed ex iis, qui, ex vi verborum ac ſententiarum, quid potiſſimum ſenſerit Ariſtoteles, conantur exſculpere. atque ita acriter, ita obfirmate, defendebat, voluiſſe Ariſtotelem, una cum corpore animum interire, ut non tam Ariſtotelis ſententiam tueri, quam ſuam aperire videretur. Et ſane nunquam eximius pietatis ac religionis cultor eſt habitus. Feriis Quadrageſimalibus ultro non neminem amicum adibat, cui oppleto ſaturoque ſalus fuiſſet inedia multorum dierum; rogabatque, num carnibus veſceretur. neganti illi, Næ tu, ajebat, homo es ridicule inſanus; cedo paginam, atramentum, & calamum. ac ſtatim, diſertis verbis, teſtimonio ſuo, quod ob præſtantiam artis, quæ in eo erat, fidem faciebat, affirmabat, non eſſe illum, ob ægritudinem, ad olera atque legumina veſcenda idoneum. Habitus eſt etiam Chaldaicis literis apprime doctus: ſed revera totam illam diſciplinam contemſit, ac deridiculo habuit. Interrogatus, cur ab ejuſmodi ſermonibus non abhorreret, ſed multa docte copioſeque diſſereret, ideo à ſe fieri reſpondebat, ut communibus hominum ſtudiis ſatisfaceret, ac merci ſuæ, quo pluris eam venderet, floſculos quaſi quoſ-

dam inſpergeret. Ac merito Vrbanus VIII fecit eum ſemper plurimi; & tum majorem habere eum cœpit, cum, initio Pontificatus ſui, ejus conſilio, ex ancipiti illo morbo ereptus eſt, à quo fuerat pene oppreſſus. nam, cum inter ceteros medicos, de alvo, quæ conſtiterat, medicata potione illi danda conveniret, ſolus reſtitit, quantum potuit; quod diceret, fore ut, mediam circiter noctem, id in eo à natura fieret, quod à medicata potione requirerent. quæ, ſeu vaticinatio, ſeu prædictio, vera eſt, ea ipſa nocte, confecta. itaque eum medicum ſibi ſolum adduxit, & opiparo, in Æde D. Petri in Vaticano, ſacerdotio, hoc eſt, canonicatu, donavit; ex cujus fructibus, majorem, opibus, quibus pollebat, cumulum addidit: nunquam tamen initiari ſacris ordinibus, ut leges illius eccleſiæ ſunt, voluit. Denique, confectus ſenio, paucorum dierum morbo, ſurreptus è vivis, ſplendido elatus eſt funere, in Ædem S. Spiritus in Saxia.

XXV. FRANCISCVS ACCARISIVS.

NOn eadem omnino ac par eſt ratio ingeniorum atque plantarum: quod non omnibus in locis omnes plantæ naſcuntur, nec eadem magnitudine, forma ac ſuavitate, ex ſe fructus educunt, ſed, pro ſoli cælique varietate, aliæ in Italia plantæ, aliæ in India, aliæ in Africa, aliæ in Sarmatia gignuntur: at ingenia, ubicunque ea ſeveris, ſive mala ſive bona, & ad literarum ſtudia in primis apta, ſemper bene feliciterque proveniunt. Atque res hæc ita eſt aperta atque perſpicua, ut eorum exemplis illuſtrari non poſtulet, qui vel in remotiſſimis terræ regionibus, vel in barbaris nationibus, & ab omni prorſus humanitate ſejunctis, vel in oppidulis, in aſperrimis ſaxis defixis, exorti, clariſſimas urbes, ac civium frequentia celeberrimas, atque adeo totum terrarum orbem, ſua luce luſtrarunt atque complerunt. Quamobrem non erat, quod Camillus Accariſius queri poſſet, quod Franciſcum filium, Anconæ, ubi honeſte nego-

negotiabatur, non autem Senis, edidiſſet; metuens fortaſſe, ne ex cælo, unde primum vitæ ſpiritum hauſiſſet, ſegnior vel tardior in diſciplinarum curriculo fieret, neve ad ſummam Iuris civilis laudem, ad quam, tanquam ad metam, illius vitæ curſum deſtinaverat, properans, æqualium ſuorum induſtriæ non præcurreret. Sed errabat. nam, ubicumque locorum communis ille uſuram lucis arripuiſſet, nullum ab aëris contagione damnum contraxiſſet, ſed ſimilis ſemper ſui fuiſſet. Ille ſaltem metus aliquam ad perterrendum vim potuiſſet habere, ne videlicet, magiſtrorum penuria, opima illa ac fertilis arbor, à cultura deſerta, ſylveſceret, aut egregia illa vis ingenii, exercitationis conſuetudine uſuque remoto, exareſceret. At, id ne accideret, fuit egregie à parente proviſum. nam, ſimul ac primum accreſcere puer, & exire de gremio cœpit, eſt miſſus in patriam. non poteſt dici, quam avide tenera illa arbor, à fœcundiſſimo illo literatorum hominum ſolo, in quod tranſlata fuerat, ſit excepta, & quam multæ, ut ita dicam, ad eam irrigandam, aquarum inductiones ſint factæ. Primum ille, à doctiſſimis grammaticis, omnibus illis artibus inſtitutus eſt, quibus imformari ea ætas, qua tum ille erat, ſolet. ſed poſtea, à ſtudiis amotus puerilibus, cum ad ſeveriora ſtudia, & in primis ad juriſprudentiam, acceſſiſſet, in ipſo ejus aditu veſtibuloque exceptus eſt à duobus ejus ævi præſtantiſſimis ingeniis, quibus, omnium conceſſu, in Senenſi Gymnaſio, legum interpretandarum primæ deferebantur; nimirum, à Celſo Bargalio, & Hieronymo Benvolente; ab eiſque ad intima ejus facultatis penetralia perductus. Hos ille ambos unice dilexit; ſed in Hieronymo benevolentia impari. hoc magis erat Celſo deditus, quod primum ab illo factus fuerat omnium ſuorum ſtudiorum particeps, tum utriuſque juris interpretandi facultate donatus, & luculenta oratione, quæ extat, ſummis in cælum laudibus evectus; qua in oratione, & Franciſci ipſius, tam familiæ Accariſæ totius, merita, diſertiſſime enumerantur; poſtremo, quod moriens idem Celſus, ſuæ fidei diligentiæque, doctiſſimam & elegantiſſimam illam diſputationem, de dolo, quam nitidiſſime imprimendam edendamque mandaſſet. At

Franciſcus, Doctoris facultatem & nomen adeptus, non habuit locum illum honoris, materiam oſtentationis & ocii, ſed laboris & operæ. etenim ſex annos continuos, in eodem Senenſi Gymnaſio ampliſſimo celeberrimoque, Inſtitutiones juris civilis eſt, ſumma cum induſtriæ doctrinæque laude, interpretatus. atque, ab hoc docendi munere, ad alia majora illi tanquam gradus factus eſt: nam primum, Pandectas extra ordinem explicandi partes ſunt traditæ; deinde, cum magnus tranſalpinorum hominum concurſus Senas, diſciplinæ cauſa, fieret, atque, honoris eorum gratia, Ferdinandus primus, magnus Etruriæ Dux, feciſſet poteſtatem, ut aliquis, magno ingenio prædítus, deligeretur, qui in eo Gymnaſio jus civile, ea ratione ac via traderet, qua in Gallia, in Germania, in Belgio, Connanus, Duarenus, Cujacius, illud docuiſſent; hæc provincia Accariſio tradita eſt. in quo ſummum ac ſingulare, de hominis eruditione, doctrina, atque ingenio, judicium fuiſſe factum videtur; quod in eo, qui tali munere dignus judicetur, non ſolum exacta atque perfecta juris ſcientia inſit oportet, verum etiam excellens antiquitatis notitia, & Græcæ Latinæque linguæ cognitio reperiatur, ſit plane neceſſe. Neque contigit, ut, qui ita honorifice de ipſo judicaſſent, ſui eos judicii pœniteret. nam diſſerendo, interpretando, docendoque, perfecit, ut omnibus iis laudibus, de quibus commemoravimus, cumulatiſſimus haberetur, quique, è Germania profecti, literarum cupiditate, tam longum eſſent iter emenſi, faterentur, ſe navaſſe operam quod illuc veniſſent. Interea Celſus Bargalio, ſenio ſtudiiſque confectus, vitam, quam à natura mutuaverat, naturæ eidem, repetenti, perſolvit. cujus morte, ordinaria in eo Gymnaſio juris docendi provincia ſuo magiſtro, ita bene de ſe merito, caruit. Non fuit diutius deliberandum, quiſnam potiſſimum illi ſubrogaretur. nam, omnium conſenſu, honeſtiſſimus ille docendi locus quin Accariſio deberetur, nemini dubium fuit. Itaque illi delatum, viginti eum annos tenuit. unde, tanquam à capite, doctrinæ ſuæ flumine riviſque, diſcipulorum ſuorum animos irrigavit; qui, quaſi plantæ, fœcundo humore imbutæ, maturo deinde tempore fructus ex ſe maximos extu-

extulerunt. Atq; muneris illius functio eo erat omnibus gratior, quod magnum etiam onus de jure respondendi sustinebat; quamobrem ejus domus, non unius civis domicilium, sed Iovis Hammonis vel Apollinis Delphici templum, quo omnes, qui in Italia controversias haberent, responsi petendi causa, confluerent, videbatur. Qua fama compulsæ omnes Italicæ Academiæ, tantam vim doctrinæ atque prudentiæ, magnis unaquæque earum ad se præmiis, advocabat. sed nullam spem lucri, quamvis magnam, putavit esse tanti, ut eam patriæ caritati, suavissimis amicorum colloquiis, jucundissimæ affinium cognatorumque consuetudini, anteponeret. Sed, quemadmodum nullum est propugnaculum ita validum, ita alte munitum, quin longa obsidione non expugnetur: etiam illud stabile ac fixum Accarisii, longius à patria non abeundi, propositum, assiduis Rainucii Farnesii, Parmæ ac Placentiæ Ducis, invitationibus, precibus ac pollicitationibus, demum est labefactatum atque convulsum; quamvis non tam pollicitationibus ac præmiis, ad consilium mutandum, sit impulsus, quam quod Sfortiæ Oddo, ac Philippo Marino, talibus viris, esset succedendum. id enim sibi in primis decorum & honestum existimabat esse. At Rainucius, quo majorem honorem haberet, illum ad eorum, qui sibi à consiliis essent, numerum aggregavit. Sed magni Etruriæ Principes non sunt passi, diutius, tantum lumen, tamque illustribus radiis effulgens, aliis regionibus collucere, iisque, unde ortum esset, suo recessu tenebras gignere. itaque revocarunt illud, suum in regnum, tanquam proprium in cælum; ut nimirum Pisis, primas Iuris civilis interpretandi partes agens, tanquam circa aliquod cælum, perpetuo & æquabili cursu se volveret, atque omnia, sua luce, lustraret. Quod cum, per annos quatuor, solis cujusdam instar, fecisset, tandem, IV Non. Octobris CIↃIↃCXXII, Senis, quo se contulerat, obiit, ut eodem nimirum horizonte, seu, ut à Latinis nominatur, finiente, unde astrum istud ad illustrandum orbem terræ prodierat, sub terras se abderet, vel potius ad cælum, una cum aliis beatorum luminibus, exhilarandum accenderet. Quantum sui desiderium talis viri mors, patrix,

triæ, auditoribus ſuis, ac bonis omnibus, reliquerit, is facile cogitatione aſſequetur, qui ſapientis illius dicti meminerit, *tum denique noſtra nos intelligere bona, cum, quæ in poteſtate habuimus, ea amiſimus.*

XXVI. LÆLIVS MARETTA.

LÆlius Maretta, Senenſis, nobili, ſed non admodum antiquo, genere natus, Romæ, quoad vixit, magnam apud omnes habuit viri prudentis, ac totius Reip. periti, opinionem ac famam. Quamobrem viro, & oratione gravi, & auctoritate, tota ſemper ab aula magnus honor eſt habitus; atque ibi ſimul rem & gloriam reperit. Neque ab ejus aſpectu, cujus dignitas reverentiam ſibi quandam arrogabat, aberat elegantia, quæ amorem conciliabat: neque à vitæ ac ſermonis gravitate receſſerat comitas, qua ſeſe omnibus dabat. nam, ut ego, etiam tum pene puer, qui ſæpe cum ipſo eram, ſum expertus, ejus interdum benignitas, oppido ut adoleſcentuli, erat: atque, niſi ea in illo indoles extitiſſet, nunquam ita me illi dediſſem; quod illi ætatulæ, qua tunc eram, odioſa eſt ſenum gravitas atque ſeveritas. Itaq; ille conſecutus, omnibus videbatur, difficillimam illam ſocietatem, gravitatis cum humanitate. Quoad vixit, ætatem egit in aula Sfortiarum; quæ familia, tum temporis, opibus, divitiis, & honoribus, in primis efflorebat. nam cum ea Gregorius XIII affinitate ſeſe devinxerat; quod Iacobus Boncompagnus, ſuus filius, Conſtantiam Sfortiam, fœminam præſtantiſſimam, haberet in matrimonio. quamobrem Pont. Alexandrum Cardinalem, totius Eccleſiaſticæ ditioni præfecerat, ut ad eum rerum omnium ſumma rediret. quo fiebat, ut apud omnes, tum Italos tum exteros, Principes viros, maximo eſſet in honore, atque ejus amicitiam omnes expeterent. Huic primum Lælius navavit operam aulicus, non unus è multis, ſed inter omnes prope ſingularis, conſiliorum omnium particeps. nihil enim ille, quod ad Remp. magnopere pertineret, niſi ex ejus auctoritate atque conſilio, gerebat. neque facti eum pœnitebat, cum utilem atque allaudabilem ſibi ab illo operam dari intelligeret. Eo

mortuo, eodem gradu fuit apud Franciſcum, Cardinalem ab eodem Gregorio XIII Creatum, cum adhuc in Belgio honorarius miles eſſet, in contubernio Alexandri Farneſii, Regis Catholici copiarum imperatoris. Hic, cum ex injuria accepta, magno cuidam principi vehementer eſſet infenſus, ſuſpenſo ac ſolicito erat animo, num honorem illum, ſibi delatum, acciperet, an, caſtra perſequens, gloriam armis belli ſibi perquireret. perſuaſus eſt à Lælio, ut nulla ratione, tam pulcram occaſionem amitteret, qua par dignitate iis eſſe poſſet, à quibus ſe ſpretum ac contemtum fuiſſe, quereretur. Cauſæ diſcordiarum hæc ferebantur. cum Alexandro Cardinali Sfortiæ à Gregorio XIII, ut diximus, tota Reſp. fuiſſet tradita, ut ejus auctoritate conſilioq; regeretur, vir quidam princeps in Italia magnus exiſtimavit, ſi ſe affinitate cum illo implicuiſſet, poſſe illius opibus ſuam potentiam augere; atque Franciſco cognatam ſuam deſponderat; at, Cardinalis Alexandri morte, de ſpe illa dejectus, ſententiam mutaverat, & cauſam quæſierat, cur eam illi non daret: in quo Franciſcus ſe fuiſſe deſpectum opinabatur. Nihil omnino edidit, ſed multa, manu ſcripta, foras emiſit, ad optimum Reip. ſtatum pertinentia: quæ, cum eſſent pleniſſima prudentiæ, atq; ab Ariſtotelis inventis minime aberrarent, à multis laudari audiebam. In pluribus Romanorum Pont. comitiis, Cardinalem ſuum, conclave ingredientem, ſectatus fuerat, ibique cum eo manſerat. itaque omnes, de novo Pont. eligendo, rationes, omnia conſilia, quibus ambientium dolis atque inſidiis poſſet occurri, pulcre callebat: omnes aulæ mores noverat, atque in inſtituendo aliquo qui vellet ad illam accedere, quemadmodum facete advertere animum ſuum ad aliorum animum poſſet, ut uniuscujuſq; voluntates & ſtudia teneret, eoque prævolaret quo ille vellet, parem habuit neminem. Sed, qui auctor atque adjutor capiendæ Reip. multis extiterat, ipſe nullam ejus partem, ſive quia noluit, ſive quia non potuit, attigit; qui civitatum regendarum præcepta aliis dare conſueverat, nulli oppido, Prætoris jure ac nomine, præfuit.

XXVII. IO. DOMINICVS PERVS.

LEgimus ſæpenumero in hiſtoriis, non neminem ab agro & ab aratro, ſumma totius populi Rom. voluntate atq; conſenſu, accerſitũ in Vrbem, qui Conſulari imperio rem gereret, vel Dictatoris auctoritate ac nomine, aut hoſtibus bellum inferret, aut eorum vim conatumque repelleret, aut in rebus dubiis, conſiliique egenis, daret operam, ne quid Reſp. detrimenti caperet. Verum, nunquam, quod quidem me legiſſe vel audiviſſe meminerim, traditum memoriæ ac literis eſt, ab Apolline ac Muſis ruſticanos homines atque paſtores juſſos fuiſſe, depoſitis raſtris atque ligonibus, plectrum ac lyram, & tubam etiam, ſumere, ſummorumque virorum laudes, ac bellorum tumultus, non ſolum ſylvis, verum etiam urbibus ipſis admirantibus, canere. Ne multa; ex omni tum vetere tum recenti memoria, non poſſe proferri alterum, arbitror, Io. Dominico Pero ſimilem, qui, à nemine doctus, nulliſque poëticæ facultatis præceptis eruditus, inter montium aſperitates ſylvarumque receſſus, vel inter ovium greges, incredibili quodam motu celeritateque ingenii, tam magnum numerum optimorum verſuum, vel dixerit ex tempore, vel, literis conſignatum, poſteritati mandaverit. Hic ortus eſt Arcidoſſi, quod eſt oppidum nec obſcurum nec humile, in montibus, Senarum ditioni imperioque ſubjectis, honeſtis parentibus; quorum quamquam res eſſent pauperculæ, ac, ruri opus faciendo, vitam parce ac duriter agerent; non ceſſabant tamen, filium ad magiſtrum in oppidum mittere, ut literas diſceret. A quo magiſtro, die quodam, acriter vehementerque objurgatus eſt, atque etiam verberatus, quod neglexiſſet, imperata, memoriæ mandare. ſed, cum condiſcipulum quendam vidiſſet, ob eandem cauſam, alterius humeris, tanquam equo, impoſitum, ſævius verberibus affici, pœnæ ejuſdem metu perterritus, quam magiſter eidem minitabatur, niſi poſthac diligentius, dictata, memoriter re-

retuliſſet, ſuum in prædiolum reverſus eſt; unde cum parens uterque, qui exierant in opus, abeſſet, modicum illud atri ac duri panis, qui in arca aſſervabatur, extraxit, atque, ita viaticatus, ſe fugæ mandavit, ac triennium totum, in locis ſolis atque deſertis, hominum ſocietatem fugiens, vitam, ferarum more, traduxit. Solum, iis menſibus, paulum ſe opilionibus & caprariis in conſpectum dabat, quibus caſtaneæ, quarum ea regio eſt fertiliſſima, nuſquam inveniebantur. atque eorum etiam aliquos amicitia ſibi devinxerat. quorum unus, cum, fervidiſſimo anni tempore, qua hora oves & capellæ, reducta in valle, vel ſub arborum umbra, nimios ſolis vitant ardores, Orlandum furentem Ludovici Arioſti, omnibus audientibus, legeret, quæque alii intelligerent minus, utpote in illius poëmatis lectione diu multumque verſatus, ſua interpretatione planum atque perſpicuum redderet, ille ſenſit, ſe admirabili voluptate perfundi. Sed, cum ille idem paſtor, Torquati Taſſi, Hieroſolymæ à Gotfrido liberatæ poëma perlegeret, non ſolum Io. Dominicus, una cum ceteris, ejus carminis majeſtate & elegantia, ad incredibilem admirationem elatus eſt, verum etiam plane vehementer exhorruit. Interea eſt inventus à patre, cujus quærendi nullum modum fecerat, & ſuum in prædiolum multis blanditiis reductus. quem poſtea ille non amplius in ludum miſit, ſed docuit bubulcitari, & quotidie in opus mercede mittebat. Inerat puero illi ingenium, non ſolum elegans, verum etiam poëticum, quo ſe, ad verſus faciendos, acriter incitari impellique ſentiebat; præſertim auditis Arioſti Taſſique carminibus; quorum carminum rationem, numeros, modos, elegantiamque, animo comprehenſam habebat. Quamobrem, cum non poſſet ſe continere, nactus eſt ab iis, quibus operas ſuas locabat, paulum atramenti; quod in fruſtulum arundinis, à ſe in vaſculi formam redacti, indiderat; calamum & chartam; quæque, inter arandum, cogitaverat, cum boves, labore defeſſi, conſtitiſſent, ſcripto mandabat; tum ſociis amiciſque recitabat; qui eum laudabant, atque hortabantur, ut in eo ſtudio ſe contineret. Sunt enim homines ejus regionis, quamvis in locis aſperis, atque

montoſis oriantur, quamvis agreſtem vitam agant, quamvis aſpero victu utantur, ſunt, inquam, ingenio, neque illiberali neque hebeti neque tardo, ſed celeri & acuto; neque quiſquam fere eorum eſt, qui literas neſciat, ſed omnes ferme, ſaltem ſcribere ac legere, diſcunt: quo ſit, ut plures apud eos libri, vernaculo ſermone conſcripti, reperiantur; quorum lectione, cum eſt otium, ac præſertim iis diebus, quibus opus facere non licet, ſe alioſque oblectant. At Io. Dominicus, poſtea quam robuſtior eſt factus, captus eſt amore cujuſdam puellæ, ſui loci atque ordinis, quæ nihilo plus erat ditior, quam ipſe. &, quia paululum citharizare, & cantare ad chordarum ſonum, didicerat, diebus feſtis, (nam profeſtis haud licebat,) exigua cum teſtudine, ad eam, formæ ejuſdem contemplandæ cauſa, ſe conferebat; ſed, tanquam ipſum puderet, ſordido obtritoque palliolo faciem obtegebat. verum, quoniam illius amor intra fines honeſti continebatur, neque aliud quidquam ſpectabat niſi conjugium, dedit operam, ut uxorem eam haberet; ex qua poſtea duas filias ſuſcepit: quarum alteri, Druſillæ nomine, non minor fere quam patri, ad poëſin indoles inerat. At ille iis rei familiaris anguſtiis premebatur, ut, ſi vellet ſe ac familiam alere, neceſſe haberet, agris aliorum colendis victum quæritare. Verum, ex mercede, quam colligebat, præter id, quod quotidianis ſumtibus ſuppeditabat, ſingulis diebus ſingulos ſibi Iulios parcebat; quos, ad neceſſarios extraordinarios uſus, ſepoſitos habebat. Hæc tam accurata tamque diligens hominis providentia, magiſtratus oppidi impulit, ut hoſpitalis cujuſdam domus, D. Lazaro nomine, cuſtodiam eidem demandarent; ex qua ſcuta quinque & viginti, & eo amplius, annua capiebat; neque eo minus ſuas iis, qui vellent conducere, operas locabat. Itaque interdiu agrorum cultioni, noctu carminum ſcriptioni, operam dabat; ſed præſertim fabulas paſtoritias, ſeu Eclogas, ſcribebat, quas actoribus amicis edendas dabat, ſeque in eorum gregem includebat, neque alias partes, niſi aratoris foſſoriſque, ſumebat: &, quamvis honeſta facie eſſet, ita ſibi os, ſcapulas, crura, diſtorquebat, ut omnium riſus commoveret: accedebat

vox

vox abſona, gravis, agreſtis. Neque erant, in pulpitis extruendis, ſceniſque comparandis, ſumtus faciendi. nam locus, ad ſclopi ictum, prope ab oppido, ad fonticulos dictus, inter caſtanearum umbras, amœnus ac frigidus, ubi theatrum ac pulpitum à natura factum inerat, ea illi omnia ſuppeditabat. Cum igitur ad naturam, à qua tot adjumenta ad poëſin habuerat, acceſſiſſet ſtudium & exercitatio, eam facultatem conſecutus eſt, ut ejus, in dictandis verſibus, celeritatem, amanuenſis, qui eos excipiebat, aſſequi non poſſet, ac tantum animi habuerit, ut ad poëmata conficienda ſit progreſſus, atque bellum angelicum, quod Angeleidas inſcripſerat, fecerit, illudque à pueris, popularibus ſuis, coram Seneriſſimo magno Etruriæ Duce, qui anno CIↃIↃCXIII illac iter habebat, recitandum curaverit. Sed illud oppidum erat anguſtius, quam ut tantam vim ingenii capere poſſet. itaque Lactantius Tartaglia, ex eodem oppido, qui Senenſium nobiliſſimorum plurium neceſſitatibus implicatus tenebatur, quique Senenſis Gymnaſii Rectoris munus, tanta cum laude, adminiſtraverat, virtuti eidem aditum ad egrediendum, ſeque latius diffundendam, aperire conatus ſit. nam Io. Baptiſtam Strozzam certiorem fecit de admirabili hominis facultate ingenioque, illiuſque, ejus videndi audiendique, ſtudium inflammavit. Non poteſt dici, quantum fuerit Lactantio laborandum, ut, qui nunquam è ſylvis, ſuoque ex prædiolo, pedem extulerat, Florentiam ire compelleretur. ſed cum tandem viciſſet, bene viaticatum ad Strozzam miſit: à quo humaniſſime exceptus eſt, ac diebus octo domi ſuæ habitus. quibus elapſis, cum abeundi poteſtatem peteret, nec obtineret, graviter queſtus eſt, ſimulque oſtendit, quantum, ex ſua abſentia, incommodi detrimentique ſuam in familiam redundaret; propterea ſe non poſſe diutius domo carere. ac, poſtridie mane, eſt ad magnum Ducem à Strozza perductus; quo homines nobiliſſimi doctiſſimique, ejus audiendi cauſa, ſeſe contulerunt. quem ut vir ille princeps, agreſti pelliceaque indutum tunica, ac ſubucula, ex rudi craſſoque filo contexta, quam etiam, ut ruſticorum mos eſt, à pectore diloricaverat, aſpexit, riſum

tenere

tenere non potuit: tum interrogavit, num poëta ille eſſet, quem oppidum Arcidoſſi, civem ſuum eſſe jactaret: qui eum ſe eſſe affirmavit. deinde quæſivit, num quod carmen in promtu, à ſe factum, haberet: qui, multa, inquit. &, admota ad peram paſtoritiam manu, aliquot inde extraxit; juſſuſque, cœpit Feſuleiden legere. cumque Princeps ac ceteri, qui illum audierant, vehementer eſſent delectati, paraſitus, unus ex iis, qui cibi gratia aliis ſe parant, ut rideant, cœpit illi in ore ſementem facere, pugnoſque obſerere, ac, Fur, inquit, manifeſtarie, tune audes, labore alieno partam gloriam, in te transferre? Ille, nihil perterritus, neque Principis conſpectum veritus, fecit cum illo mutuum, pugnoſque pro pugnis referre non dubitavit. Sed, inhibitis, juſſiſque quieſcere, Dic bona fide, magnus Dux inquit, tune es hujus carminis auctor? Qui conceptis verbis, Putaſne, ait, me tam perfricta fronte futurum fuiſſe, ut auderem, tanto Principi aliena pro meis obtrûdere? At nunc, excepit ille, experiar, num ſit tibi præditum hac ſapientia pectus nec ne: audeſne, me præſente, aliquid ex tempore ſcribere? Quid ni? ait ille; cedo paginam & calamum. nullaque interpoſita mora, in contumacem paraſitum illum, qui pugnis eum invaſerat, lepidum carmen exaravit. Obſtupuit vir ille princeps: atque, A me, inquit, opta, quod lubet; nam impetrabis. Ad quod dictum, ſimul illi vox atque animus excidit; nec ullum verbum proloqui potuit. ſed, ab iis, qui aderant, ſublevato incitaroque, & vox & animus rediit; atque, Da, inquit, panem, quo familiam meam alam. Interrogatuſque, quot capita in ſua familia numerarentur; Quatuor, reſpondit; ego, uxor, ac liberi duo. Bene agis, magnus Dux ait; da mihi ſupplicem de hac re libellum; & ego perficiam, ut tibi quotannis, die D. Ioannis Baptiſtæ natali, tantum frumenti demenſum detur, quod ſatis familiæ omni ſit tuæ. Hoc ille promiſſo, præter modum exhilaratus, ex tempore fudit hos verſus:

En tibi, quem caſus fecit, Dux magne, poëtam,
Qui nec Pegaſeo conſperſit labra liquore,
Ardua nec tetigit Parnaſſi compita montis.

Tum liberaliſſimus Princeps, non ſolum beneficium, verbis

verbis dudum initum, ratum ac firmum esse voluit, verum etiam scuta illi quingenta numerari jussit, ac Fesuleiden suam typis mandari; in cujus fronte, ejusdem, tunica illa pellicea induti, in qua primo conspectus erat, imago impressa cerneretur; quam, coronæ cujusdam instar, ligones, rastra, aratra, & reliqua instrumenta ruris, ambirent. Fuit etiam à magna Ducissa humaniter exceptus, ac largiter donatus. ac, ne pedes domum redire cogeretur, mulæ fuit impositus; quæ, præter alia vitia quibus abundabat, erat etiam retractans, neque ingredi, nisi diu multumque coacta, volebat. in quam ille facetissimam scripsit satyram, in qua magno Duci narrabat, credere se, quadrupedem illam ex Hispano genere ortam, quod succussaret, quod calcibus feriret, quod cerebrosa, quod obstinato obfirmatoque animo esset. addebat etiam, quod, in patriam rediens, cum non ita multo post, quam è Florentiæ urbis porta exisset, magno se vesicæ exhauriendæ desiderio percussum, voluisse à mula descendere, ut necessitati illi operam daret, sed nunquam id sibi fuisse in potestate; nam importunum ac perfidiosum illud animal, modo se in pedes erigere, modo se hac illac versare, modo recalcitrare, ac, nisi tandem viatores quidam auxilio veniissent, quorum alii mulam retinerent, ne se commoveret, alii ipsum deorsum ab ea dejicerent, nunquam ejus furentis impetum potuisset effugere; sed, post damnum suppetias ut dicitur; cum urinæ, jam gestientis erumpere, vim cohibere non posset, prius quam ipsorum opera equo decidisset, coactum fuisse, ingratiis, ajebat, illi aditum dare, atque ita subuculam, ac femoralia intus omnia, turpiter comminxisse: ut propterea millies mulæ illi, iisque, à quibus eam acceperat, mala omnia precaretur. Reversus in patriam, longum esset enarrare, quibus eum lætitiis, quibus amplexibus, uxor ac filiæ, tanquam ex remotissimis orbis terræ partibus redeuntem, exceperint; præsertim, cum argento onustum aspicerent, atque æternum sibi familiæque suæ cibum reperisse intelligerent. Sed, vix patriam tetigit, cum in oppidum S. Floræ, ad Ducem Onnani se contulit, ac lepido facetoque carmine, quod supplicis

cis libelli formam haberet, petiit ab eo, ut, quoniam magnus Etruriæ Dux panem ipſi præbuiſſet, nec haberet unde vinum ſumeret, daret operam, ne ſiti conficeretur, neve eam haberet neceſſe aqua ire ſedatum. qui lubens annuit, atque, ut tot vini cadis, quot annis illi convenirent, mandavit, quot poſſent uno anno quatuor, quamvis multibibi ac merobibi, bibere. Atque, tum triticum, tum vinum, ad illum quotannis, ſine ullo ſuo ſumtu deferebatur. Neque eſt prætereundum, quomodo magnus Dux conatus ſit eum à ruſtica & agreſti illa vita abducere, & ad civilem & aulicam traducere, & in primis Ducis magni mater & uxor, magnis pollicitationibus, ab eo contenderit, ut conjugem ac filias ad ſe traduceret; nam effecturas, ut, opibus ac divitiis auctæ, neminj eorum concederent, quæ beatæ putantur; præterea, ſi virgines vellent nubere, curaturas, ut tuto ab aſinis ad boves, id quod negant fieri poſſe, tranſirent. audacter reſpondit, non eſſe è re uxoris filiarumque, nec ſua, homines, in ſilvis natos, & ad vitam parce ac duriter agendam aſſuefactos, repente, à ſummis laboribus, gradum facere ad regalis aulæ mundicies, mollicies, deliciaſque, corporaque; illuvie æterniſque ſordibus ſqualida, pulcras veſtes & ornatus accipere; ſibi autem eſſe deliberatum, in ſua ſe pelle tenere; neque ulla conditione ſe poſſe adduci, ut patrium nidum Florentia aulaque permutet. Sed multo fecit elegantius Romæ cum Io. Ciampolo, quo tempore apud Vrbanum VIII auctoritate & gratia valebat; cujus Ciampoli acutis naribus, quibus unguenta exotica ita ſordebant, ut eorum odorem ferre non poſſent, iſte aptiſſimus acceptiſſimuſque inveniebatur. itaque erat illi in amoribus ac deliciis, &, quoad Romæ fuit, nuſquam eum, niſi ad ſe, divertere, perpeti potuit; deditque operam, ut in Academiis, quæ tum vigebant, audiretur; in ea præſertim, quæ in ædes Cardinalis Sabaudi convocabatur. Quo tempore magni ad eum hominum concurſus fiebant: neque enim erat, quod quiſquam ita viſendum putaret, quam, ruſticanum hominem, ab agro & ab aratro profectum, foſſoris vel caprarii habitu ornatuque, inter homines omnium nobiliſſimos doctiſſimoſque, aurea in

ſella ſedentem, lepidos eleganteſque verſus effundere. Nec vir ille princeps paſſus eſt, deſiderari à ſe liberalitatem ſuam, ſed pecunia eum donavit: cujus exemplum ſecuti ſunt alii deinceps plures. Sed, die quodam, Ciampolus, cum, doctis ac nobilibus quibuſdam viris, amiciſſimis ſuis, prandium daret, impetraverat ab eo magnis precibus, ut, quo honeſtius verſari inter convivas illos poſſet, urbanas veſtes, ac ſumtuoſas, quas illi comparaverat, ſumeret. Sed, cum deinde opiparæ ac ſaliares in menſam dapes ferrentur, commotus, Quod genus, inquit, hoc hominum? quæ hæc conjuratio eſt? id unumne ex compacto omnes agitis, ut mortem mihi maturiorem efficiatis? Vnaque opera, abjectis ſumtuoſis illis veſtibus, ſagum ſuum pelliceum induit, peram paſtoralem ſumſit, ſeque è triclinio foras ejecit, & in patriam recepit; iratus etiam Ciampolo, quod adhuc voluiſſet eum ad Vrbani Pontificis pedes adducere. Qui Pontifex cum illum audiſſet in patriam profectum, moleſte tulit, & graviter cum Ciampolo queſtus eſt, quod ea ſe voluptate privaſſet. Diſcedens, pecuniam, quam ex donariis acceperat, apud Ciampolum reliquerat: ex qua, ſibi tranſmiſſa ac numerata, domum in agro, ex ſui animi ſententia, ædificavit: ubi, multos annos cum in ſummo otio & tranquillitate vitam egiſſet, & filias honeſtis viris nuptui dediſſet, demum ſenio morboque confectus, naturæ debitum reddidit; &, ex hac vita decedens, alia ſibi Tempe, alium Parnaſſum Pindumque quæſivit.

XXVIII. ANGELVS RAPARIVS.

NVnquam rerum omnium effectrix atque magiſtra natura, poſt genus humanum conditum, (præterquam raro, in geminis fratribus,) duorum hominum formas ita inter ſe pares effinxit, ut eadem eſſet in utriſque, vel plane difficilis ad diſtinguendum, ſimilitudo: ſed, in hominibus formandis, in tanta varietate verſatur, ut, qui in eam rem ſe mente & cogitatione conjiciat, ad incredibilem admirationem efferri atque abſtrahi ſentiat. Iſtuc idem in ingenii formis uſu venire, quis

quis neſciat? Nunquam enim duorum ingenia hominum, ſtudiorum ac voluntatum ſimilitudine inter ſe æqualia, reperias, ſed in aliqua re diſcrepare animadvertas; ut aliud uni, aliud alteri magis placeat, ac magis expetendum eſſe videatur. Sed tale ingenium, quale in Angelo Rapario Cremonenſi fuit, in nemine extitiſſe invenies. Erat, vel certe videbatur, vir optimus atque ſanctiſſimus; ſed, dum ad ſummæ ſanctitatis terminos vela dabat, interdum à vehementi quodam flatu ſe abripi, atque ad varios ſcopulos abſtrahi & deferri ſinebat. Nam ſibi perſuaſum habebat, vix quemquam, qui lethali ſe ſcelere contaminaſſet, poſſe, veræ pœnitentiæ lavacro, ejus peccati maculas eluere. Itaque librum, de falſa pœnitentia ſcriptum, reliquit; in quo, inanibus quibuſdam rationibus, conabatur oſtendere, omnes fere iis, qui peccaſſent, quod vera pœnitentia non contingeret, æternæ ſalutis aditus eſſe præcluſos. tum, nimium in ſe ipſe inquirens, dum metuit, ne vitioſum aliquid colligeret, ad ineptias devolvebatur: quarum aliquas referam; nam infinitum eſſet, omnes colligere. Non ſolum diebus feſtis, ut ab Eccleſia præcipitur, verum etiam profeſtis, non ſemel eodem die, ſed iterum ac ſæpius, Miſſæ ſacrificio intererat; quod quidam illi ſcrupulus in animo hæreret, nec poſſet evelli, ſe eccleſiaſticis legibus non obtemperaſſe, quia ſuſpicaretur, à ſacerdotibus illis, qui ſacra feciſſent, non abſque defectu aliquo ſatisfactum ſuo muneri; ideoque pluribus ſacris audiendis operam dabat, ut, ſi fieri poſſet, in unum aliquem ſacerdotem incurreret, qui vitio omni careret. neque, cum peccata confiteretur, quidquam tam deplorabat, quam, quod non ſemper de ſacrificantis certus eſſe poſſet ſanctimonia. cumque pertinacius in hac opinione perſiſteret, confeſſarium, qui eam illi ſtultitiam conabatur adimere, in ſceleratorum & impiorum numero habebat, neque eo amplius utebatur. quo fiebat, ut nemo ſacerdos inveniretur, qui vellet ejus confeſſiones audire. In ceteris vero rebus ita quoque erat ridicule religioſus, ut magnos ac lepidos de ſe ludos daret. Si qua fortaſſe via faceret iter, ubi mulieres veſtes lineas madidas, modo è fullonia derpromtas, in ſole ſiccabant, ac vel lin-

teum,

teum, vel ſubuculam, funibus, ut mos eſt, dependentem, pallio vel manu contigiſſet, ſua eam culpa è fune depulſam concidiſſe, & furibus objectam periiſſe, arbitrabatur. itaque, quanta maxima vi poterat, mulieres illas rogabat, ut veſtes omnes dinumerarent, ac diligenter inveſtigarent, num quæpiam illarum deſideraretur. cumque mulieres, ſuum illis numerum conſtare, ſerio affirmarent, non tamen quieſcebat, ſed, perturbato ſuſpenſoque animo domum rediens, dabat ſe ſolicitudini atque mœrori. Fiebat etiam interdum, ut præter nummulariorum menſas progrederetur, ubi nummorum acervi ſæpenumero extant ac prominent: ſtatim, magna ejus in animum ſuſpicio incidebat, partem aliquam ejus pecuniæ à ſe ſurreptam, & in crumenam ſuam averſam; ſeque, tanquam furem manifeſtarium, collybiſtis tradebat, ut de ſe ſupplicium ſumerent. cumque illi, id non fieri veriſimile, dicerent, quod nunquam oculos ac manus à nummis illis amoviſſent, idque ab eo, mentis vitio, fieri arbitrarentur, vix eum à ſe poterant removere. erant tamen aliqui malitioſi ac vafri, qui, rem ita ſe habere ut diceret, affirmarent; propterea, quod furto ſublatum eſſet, reſtitueret: tum omnis ab eo furti admiſſi ſuſpicio recedebat, atque eos hallucinari, nec recte oculis uti, ajebat. Neque alia erat ratio, ejuſmodi ſcrupulos, ejus ab animo, evellendi, niſi eidem aſſentiri, quodque de ſe fatebatur, concedere. nam homo, qui tam diligenter ſuum teneret, quam quivis alius, confeſtim ad ſe redibat, atque, à cogitatione ſua deceptum ultro, vidiſſe ſe quod non viderat, & feciſſe quod non fecerat, affirmabat. In quodam vero aſino, quos de ſe riſus, quos ludos dedit! in quantam facetorum hominum urbanitatem incurrit! Die quodam, per poſticum, in periſtylium quarundam ædium intraverat, ubi plures erant aſini, qui frumentum domino domus deportaverant; qui improviſo illius adventu viſi ſunt paululum exterreri ac loco moveri: at ille, nihil tum animadvertens, iter ſuum perſecutus eſt, ac per oſtium egreſſus eſt foras. ſed, cum paululum progreſſus eſſet, venit illi in mentem, modici illius aſinorum metus, quo paululum diſſipari viſi ſunt; & ab

hac cogitatione, quasi quodam aditu, ingressus est in suspicionem, ne, sua culpa, eorum unus vel plures se in viam ex postico illo dedissent, & in abigeum aliquem incidissent. nec mora; reversus, exquisivit ab asinariis, quot secum asinos duxissent: qui, Quinquaginta, responderunt: ac confestim cœpit illorum numerum inire. verum, sive quia unum in enumerando præteriret, sive quia oculis timor obsisteret, novem & quadraginta eos esse, reperiebat. tum exanimatus metu, & amenti similis, ea circum loca perreptans, ut quemque viderat, num asinum, qui se ex aliorum societate distraxerat, aspexisset. sed, cum omnes negarent, revertitur, ac rursum in eorum enumeratione versatur; atque adeo, quod optabat, non reperit, ut, ex quadraginta novem, quadraginta octo factos esse, quereretur. ac, Me miserum, clamabat, cur non venit in mentem, postico ostium claudere? jam, nisi cavero, ad unum omnes se istinc fuga surripient. Ad quam vocem accurrunt asinarii, &, quid quereretur, interrogant. Quid querar, rogatis? hei mihi, qui fui huic malo caput; vestri asini, nisi quamprimum occurritis, seditione facta, vasa conclamant, profectionem & fugam adornant, ad hostes, hoc est, ad fures transeunt; & jam duo ex eis in illorum castris præsidiisque versantur. Quo audito, asinarii oculos attollunt, uno aspectu universum exercitum lustrant, ac nullum vident abesse. tum, ad illum conversi, Profecto, mi homo, insanis; hic quieta sunt omnia, milites salvi, numerus convenit; quamobrem, si te ea res solicitum habet, jubemus, libero ac soluto animo esse. Alio die, amico cuidam suo cœnam dabat, cumque farcimen præstantissimum, sibi Cremona missum, conscidisset in frusta, ut amico anteponeret, ibat, ut funiculum, quo farcimen adstringebatur ut quod erat intus arctius complecteretur, è fenestra in viam ejiceret; &, quia tenebræ erant maximæ, & funiculus paulo unctior, verebatur, si in prætereuntem aliquem incideret, ne pallium illi, vel pileum, commacularet; &, cum aliquantulum incertus animi fuisset, utrum projiceret, an non, tandem venit illi in mentem edicti, quo in omnibus fere municipiis præcipitur, ut, si noctis

ctis tempore ſit deſuper aliquid dejiciendum, triplici antea prædictione populus admoneatur. itaque ter, è feneſtra, maxima voce clamavit, Cavete, cavete, cavete; adeo ut vicinia, cum majorem aliquem eſſe cauſam ejus clamoris ac moniti ſuſpicaretur, tota ſe ex ædibus foras effuderit. Multaque præterea, his ſimilia, inepta ac ridicula fecit, ac dixit. Omnes, quos quidem ipſe audiſſet, qui de loco ſuperiore conciones ad populum haberent, plerunque inanem ac ſupervacaneam ajebat operam ſumere: quia ſingula vitiorum genera, ut avaritiam, ſuperbiam, libidinem, crudelitatem, ad accuſandum arripiunt, & in eo ſe jactant, vel divini judicii ſeveritatem, atque infernorum ſuppliciorum acerbitatem, compoſitis ac magnificis verbis exponunt, adeo ut etiam ex auditorum oculis lacrimas, quæ cito areſcunt, excutiant; quæ quia nemo ad res ſuas revocat, hoc eſt, ad ea, quæ ipſe avare, ſuperbe ac crudeliter fecerit, ideo fieri, ut vix quiſquam ab eorum oratione melior excedat: contra, illos opus oratorium facere, qui privata cujuſque generis hominum vitia noſſent, qui ea, quæ in mercatorum & artificum tabernis, quæ privatorum in domibus, in aulis Principum, in judicum tribunalibus, aliiſque in locis, paſſim committuntur, aperiant, inſectentur, objiciant, & ad divinæ legis normam revocare contendant. ac, neminem adhuc ſe reperiſſe affirmabat, qui habitaret in hac una ratione dicendi, præter F. Franciſcum Nerium Ianuenſem, è Capucinorum familia, qui tum Romæ in concionibus dominabatur: quem, quo ad vixit, ſumma ope coluit, & ſcriptorum ſuorum heredem inſtituit. nam multa graviter ac ſevere ſcripta reliquit. Sed, quiſnam ab homine tam tetrico, tamque auſtero, faceta ac ridicula carmina expectaſſet? At, in hoc, expectationem omnium decepit. etenim, longum rhythmicum carmen, ex minutulis ſtrophis confectum, in illius laudem edulii compoſuit, quod vulgo raviolos appellant; ac ſingulis ſtrophis intercalaris erat verſus inſertus; &, quoniam carminis ea lex erat, ut ultima ſtrophæ uniuſcujuſque ſyllaba, eodem quo extrema, intercalaris modo, deſineret, trecenta fere verba, ſimiliter eodemque modo cadentia, re-

pererat. id carmen quotannis Sodalibus Deiparæ Virginis Assumtæ recitabat; quo die ex symbolis, animi relaxandi gratia, simul edebant. Sed demum, tabe confectus, hinc communem in locum excessit.

XXIX. AVGVSTVS PACINELLVS.

SI de uniuscujusque facultate existimare ex amore & gratia licet, qua ille apud viros principes floruit, magnum profecto virum, Augustum Pacinellum, patritium Senensem, extitisse, fateamur necesse est; cum tribus deinceps S. R. Ecclesiæ Cardinalibus fuerit eximie carus, Paulo Æmilio Sfondrato Card. S. Cæciliæ, Desiderio Card. Scagliæ, & Marco Antonio Card. Bragadino; à quibus, in causarum cognitionibus, quod munus perpetuo sustinuerat, magno ejus opera æstimabatur. Quod autem maxime illis fuerit cordi, magnoque in honore ac precio, illud in primis argumento est, quod à nemine eorum, ipsis vivis, discesserit, sed in eorum amicitia & gratia perpetuo manserit. Neque hunc eorum amorem & gratiam gratis assequebatur, sed multis magnisque virtutibus. Erat in omni fere genere honestarum artium doctus, sed præsertim exquisita quadam juris civilis, ejusque universi, scientia peritus: nam Pontificium etiam didicerat. non enim eum quidam de foro rabula, in minorum magistratuum subselliis latrare docuerat, sed doctor singularis, vel potius omnium suæ ætatis præstantissimus I. C. erudierat, Fabius Benevoglientes; de quo sæpius commemoravimus. neque eum ille, cum Doctoris & Magistri insignibus decorabat, asini magis quam Iurisconsulti habere similitudinem dixit; ut de quodam accidit, quem, cum iret, ut Doctorem faceret, forte in via in asinum incidit, qui, diducto rictu, speciem quandam ridentis efficiebat; in quem intuens, Quid rides, inquit, inepte? te quoque possumus, si nummi veniant, in numerum atque ordinem Doctorum impellere. Non igitur eam de illo opinionem habebat, verum tantum illi tribuit, ut dignum judicaverit, qui statim eam vim doctrinæ, quam ab ipso hauserat, quaque redundabat, in alios diffunde-

funderet. Atque octo annos continuos, in celeberrimo Senenſi Gymnaſio, Ius civile, magna auditorum frequentia, docuit. Sed, cum animadvertiſſet, dormitantem oſcitantemque eam eſſe ſapientiam, quæ non ad uſum transferatur, eaque arma plus habere ſplendoris, quam utilitatis, quæ ad ludendum, quam quæ ad pugnandum ſumuntur; docendi munere, quod magna cum laude obibat, ſponte ſe abdicavit, ac doctrinæ vim illam, qua ſe præſtare non ignorabat, ex umbraticis illis exercitationibus in pulverem, aciem, clamores, ac ſolem educere, hoc eſt, ad forenſem uſum transferre, conſtituit. Itaque profectus eſt Romam, & adire ad privatas cauſas cœpit, non, ut in agendo diſceret, quod plerique faciunt, ſed ut, doctus, quid efficere poſſet, oſtenderet. Sed non fuit illi magnopere elaborandum, ut, quantum ingenio, quantum doctrina, valeret, declararet. nam primæ illæ cauſæ, ab ipſo ſuſceptæ, & ſumma diligentia elaboratæ, & tanquam elucubratæ, tantum commendationis habuerunt, ut non levis inter ſummos viros eſſet contentio, quiſnam potiſſimum domi eum ſuæ poſſet habere. Sed vicit omnium ſtudia diligens Cardinalis S. Cæciliæ ſedulitas: nunquam enim quievit, niſi eo ſuam in domum perducto: quem ſtatim Auditoris honore ac nomine cohoneſtavit, qui, pro ſe, cauſas, quæ in ſuum forum convenirent, cognoſceret atque decideret. Quod munus, tanta cum fidei, doctrinæ, & abſtinentiæ laude, adminiſtravit, ut Cardinalis, Cremonenſem Epiſcopatum adeptus, non diutius ſecum in corde volutaverit, cuinam potiſſimum vicarias ſuas partes demandaret. nam ſtatim occurrit Auguſtus, cujus opera fideli ac ſtrenua uſus eſſet; atque vicariæ eum illi provinciæ præfecit; quam ſemper tenuit, neque antea dimiſit, quam Cardinalis Epiſcopatum depoſuit, atque alteri tradidit. quibus actis, nihil in eo fuit moræ, quin Cardinalem, Cremona abeuntem, & Romam proficiſcentem, proſequeretur. cui etiam fidem, benevolentiam, ſtudium, uſque ad extremum vitæ illius ſpiritum, præſtitit. Quæ res magno argumento eſt, fuiſſe in eo ſummam animi conſtantiam, agendi dexteritatem, excellentemque multarum artium ſcientiam; quod Car-

dinalis, uſque eo difficilis ac moroſus haberetur, ut vix quiſquam inveniretur, qui illi ſatisfaceret; quo fiebat, ut non pauci, deſperantes, ſe poſſe illi, ad animi ejuſdem ſententiam, præſto eſſe, peterent, ut, ejus voluntate, diſcedere liceret; alii etiam aulam illam ultro deſerebant. Neque levem ille ab eo, ad cujus animum ita facete animum ſuum adverterat, ſuæ fructum induſtriæ ac fidei tulit. nam, una cum Odoardo Cardinali Farneſio, electus ab eo eſt, ut daret operam, quo ea, quæ ex teſtamento, quod ſcripſerat, poſt mortem ſuam fieri vellet, perficerentur. Magnus ſane honor, atque hominis pietate ac ſapientia dignus. Verum, cum Cardinalis è vita migraſſet, non licuit illi diutius eſſe ocioſo; ſed ſtatim à Cardinali Scaglia, Auditoris ſui munus, eſt demandatum ac traditum. cujus domi cum ad multa ac graviſſima negocia adhiberetur, eam ſibi probitatis, doctrinæ, & abſtinentiæ, famam nomenque confecit, ut, variis temporibus, Epiſcopatus plures ſint delati, ex iis, qui intra Senenſium fines continentur: quos ille conſtantiſſime recuſavit accipere. Quid multa? ipſum etiam Senarum Archiepiſcopatum, qui, Cardinalis Bichi morte, paſtore carebat, ultro à magno Etruriæ Duce oblatum, eadem animi magnitudine atque conſtantia repudiavit atque rejecit. Sed illa hominis virtus, ille rerum omnium humanarum contemtor animus, nullius rei ita erat cupidus, ut tranquillitatis & otii; quæ nuſquam longius, quam ab aulis Principum, exulant. Nec defuit illi Deus, Cardinali Scaglia ad ſe evocato, in votis & optatis occurrere. Itaque nihil habuit prius, quam ut Romæ in domum Caritatis, ad forum Sabellum, ſecederet, ibique totum ſe pietatis ac literarum ſtudiis & operibus traderet. Iucundum ſane, atque ex animi ſui ſententia, id illi ocium fuiſſet, ſi diuturnum eſſe licuiſſet. verum, ab aulæ moleſtiis turum eſſe non potuit: illuc enim vehementiſſimi, Cardinalis Bragadini, conatus ac preces irruperunt, ab eoque extorſerunt, ut vellet ſibi eſſe à cognitionibus, verum cum ea condicione, ne cogeretur coloniam, in quam venerat, commutare; hoc eſt, ne haberet neceſſe, domum illam deſerere, & in ædes Cardinalis immigrare. Habebat

bat in animo, ſi paululum illi longior vita ſuppeditaſſet, duo volumina typis mandare, hoc titulo inſcripta: *Reſponſa ad quaſdam inſignes quæſtiones*; itemque, volumen aliud epiſtolarum, quas, Cardinalium, quibus operam navaverat, nomine, tum Latine tum Italice ſcriptas, complures ad viros principes dederat. quæ omnia, à Bernardino fratre, propediē edentur. Moribus erat optimis atque ſanctiſſimis, adeoque, in tribuendo unicuique ſuum, religioſus, ut duo haberet inter ſe diſtincta marſupia, unum, in quod vectigalia, ex bonis Eccleſiaſticis prodeuntia, conferret, alterum, quod reditus, quos ex bonis ſuis capiebat, includeret: illud Eccleſiaſtici, hoc prophani, nominibus appellabat: ex illo non plus ſumebat, quam quantum eſſet ad vitam parce ac duriter degendam ſatis; ex iſto, quæ ſupererant, neceſſitatibus pauperum ſuppeditabat. Cum ſternuebat, tantos naſo clamores edebat, ut totam viciniam, in qua erat, perterrefaceret. Præterea, Galliarum Regis partium ita ſtudioſus, ita acer ejus nationis propugnator atque defenſor extitit, ut interdum, fere non minus ad ineptias revolveretur, quam olim, me puero, popularis quidam ſuus, capularis atque Acherunticus ſenex, qui Ædiculæ S. Martini, ad montem pietatis, Parochus, propterea nolebat ad ægrotum quendam ſacram Euchariſtiam deferre, quod eſſet Hiſpanus: omnes enim ejus nationis, ridicule, impiorum ac ſceleratorum numero habebat.

XXX. CYNTHIVS LVCARINVS.

MVlta à veteribus poëtis monſtra elegantiſſimis depicta verſibus extitiſſe narrantur, quæ ex variis diverſiſque naturis conflata conſtarent, ut Chimæram, Minotaurum, Sirenes, Stymphalides, aliaque ejuſmodi naturæ portenta; quæ, ſi ad hiſtoricæ veritatis rationem exigantur, omnino falſa eſſe convincentur, ſi vero ad animorum formas referantur, nihil ab illis rectius, nihil elegantius, dictum eſſe reperietur. nam quidam

ex iis, ex tam contrariis diverſiſque, inter ſe repugnantibus, naturæ ſtudiis cupiditatibuſque conflantur, ut nullum unquam tale monſtrum, cujuſquam ingenio, excogitari fingique potuerit. Atq; ut ad rem propius accedamus; quiſnam Chiron, qui à ſuperiori corporis parte hominis, ab inferiori equi ſimilitudinem ac ſpeciem gerebat, quænam Siren, quæ, ſuperne formoſiſſima ſpecioſiſſimaque puella, fœdum in piſcem deſinebat, cum monſtruoſo Cynthii Lucarini Trebulani, quod eſt oppidum in Vmbria, ingenio æquari conferrique poſſe videatur? Cujus ſi ſuperiores animi partes, tanquam caput, aſpexiſſes, nihil illo fieri poſſe feſtivius exiſtimaſſes; ſin autem paulo infra, quaſi ad crura pedeſq; oculos dejeciſſes, nullum unquam monſtrum, tam vario tamque diſſimili exitu concluſum fuiſſe, juraſſes. Atque hæc erant in eo hominis, vel angeli potius, ſi ita fas eſt loqui, feſtiviſſimi ſigna; ſumma divinarum humanarumque rerum omnium ſcientia, exacta atque perfecta Græcæ, Latinæ, Etruſcæ, Hebrææ, Arabicæ, & Chaldææ linguæ notitia; quibus linguis non ſolum loquebatur, ſcribebat, verum etiam elegantiſſimos verſus faciebat; omnium, ſacrarum literarum, interpretum notitia, quorum volumina legerat, quodque in eis belliſſimum eſſet decerpeſerat, & memoriæ cuſtodiendum mandaverat: in eiſque voluminibus, elegantibus quam maxime typis impreſſis, conquirendis comparandiſque, nulli, neque labori neque ſumtui, parcebat: præterea ingenium acre, velox, acutum, unico aſpectu ad intima eorum, quæ monſtrarentur, uſque percurrens, ac cognitione ſcientiaque complectens. Hæc, inquam, hominis, non unius è multis, ſed plane ſingularis, in eo laudem habebant: reliqua vero, quæ cum eorum extremitate, quaſi cum ventre femora, crura, pedeſque, jungebantur, nihil ſimile hominis, ſed fœdi cujuſpiam anguis, vel ſi quid eo eſt immanius, repræſentabant: quorum caput erat, inſanus ac monſtruoſus mulierculæ cujuſdam, Leonora nomine, amor; qui, ubi quemque comprehenſum ſuiſque laqueis implicitum habebat, magno ac ſolido eum mactabat infortunio. hæc ſibi eum mulier, virtute formæ, qua præſtabat, emancipaverat; hæc, ut ait illa

la apud veterem poëtam lena, tanqnam piſcem habebat, quem, quoquo vellet modo, condiret, ſive patinarium, ſive aſſum; ad hujus domum res, à parentibus illius, magno labore parta, exulatum abibat; hæc, quod metuebat (ut ſunt hominum mentes, inconſtantes & variæ,) ne altera eum ſibi præriperet, quemque ipſa caperet fructum, domum ad ſe averteret, dedit operam, ut ejus apud ſe animum, tanquam avem, ne quopiam aufugeret, devinctum haberet; atque, ut mos iſtarum eſt, ad veneficia cantioneſque confugit, & amatorium illi poculum propinavit. in quo rebus ſuis non bene conſuluit. quod ſi medicatam illam potionem non hauſiſſet, multo ſibi diutius ille duraſſet. nam, ea epota, paulatim de ſtatu mentis dejectus eſt, cœpitq; aliena facere ac loqui. quamobrem, cum ex lege, ejus, ad agnatos, tutela rediiſſet, lucrum illud penitus conſtitit. neque mala, quo magis illum aſſecaret, meritricis illud acumen non adhibuit, ut ſe ejus amore differri aſſimularet: nam verſibus Græcis ac Latinis, miſere ſcriptis, ab altero ſibi dictatis, ſed quos à ſe compoſitos diceret, ſe dies noctesque excruciari, nec ſine illo partem ullam quietis capere poſſe, ſignificabat. ille, eodem genere ſermonis & carminis, non minus miſere, reſponſum illi dare, ſe magnum facere, forma Paridi Naciſſoque, qui tam perdite amaretur, anteire, exiſtimare, ſentire, ſe ad mutuum in amore cum illa faciendum adigi, munera conduplicare, lucro illi potius, quam ſibi decori eſſe. Verum, eorum, quæ, è domicilio mentis egreſſus, inaniter fuderat, pauca quædam huc conferam. Velle enim, ajebat, ei, quam plus oculis ſuis amabat, ædes, ita magnificas, ita amplas, exſtruere, ut totum illud ſpacium occuparet, quod Spoletum inter ac Trebiam adjacet; tum alteras eidem Romæ ædificare, novem Muſarum concilio ſacras; deinde, navem argenteam, egregio opere elaboratam, comparare, qua equorum, remigum partes agentium, opera, tota Vrbe, quaſi mari, una cum ſua Leonora veheretur. Sed nihil tam habebat in ore, quam currum parari, mirabili artificio, multiſque myſteriis refertum, in quo triumpharet, eo quod, ſcientiam rerum omnium complexus, cunctos mortales ſapientia viciſſet.

Sed, ad noſocomium inſanientium adductus, antea vitam amiſit, quam recuperare ſanam mentem poſſet. At ego de hoc homine dici audivi, quamquam mulierculæ illius amore implicitus teneretur, præter externas illas ſignificationes atque diſpendia, nihil amplius ipſi cum illa fuiſſe.

XXXI. BENEDICTVS FLORETTVS.

IN hoc omnia plane ſunt hominis; nihil brutorum animalium, nihil monſtri ſimile, reperietur; nullus amor, nulla cupiditas, nullæ ineptiæ; ſed contra, multa gravitas, continentia, variæ exquiſitæque literæ. Poëtas omnes, Græcos, Latinos, & Etruſca lingua loquentes, diligentiſſime legerat; omnes eorum flores, veneres, leporeſque collegerat, &, ſi quid ab eis titubatum eſſet, cenſoria prope auctoritate notaverat. Quamobrem effectum eſt, ut poëticæ facultatis peritiſſimus evaderet, ac penitus omnia ejus artis præcepta, atque adeo omnia myſteria, noſſet. ita tamen, ut magis æſtimator metuendus eſſet, quam poëta admirabilis. neque mirum. nam, ſi præcepta poſſent poëtam facere, nihil adjuvante natura, qnis non eſſet poëta? facile enim eſſet, quæ à magiſtris ejus artis traduntur, accipere, ac mandare memoriæ. quiſnam poëta, ſive ſit Homerus, ſive Virgilius, ſi ſola præcepta valerent, auderet ſe cum Ariſtotele conferre? qui eadem acie mentis, qua rerum omnium vim naturamque viderat, hæc quoque aſpexit, quæ ad poëticam artem pertinebant. Omnino ſic ſe res habet, ut, in hac una, magis quam in ceteris aliis rebus, natura dominetur ac præſtet. Quod à Floretti opinione non abfuit; qui cum tentaſſet, quid in eo genere efficere poſſet, ſemel in Macheronico, iterum in Fidentiano faceto carmine, atque intellexiſſet, ſe non poſſe ad mediocres, nedum ad ſummos pervenire, quamvis omnia ſumma feciſſet; à ſcribendis verſibus ſe continuit, & ad aliud ſtudium tranſtulit. nimirum in cognoſcendis ac funditus percipiendis Etruſcæ linguæ divitiis, omnes fere nervos ætatis induſtriæque ſuæ conſumſit: uſque adeo, ut ad Cruſca-

ni Lexici marginem, cujus, domi ſuæ, exemplum habebat, multa ibidem, perperam dicta, correxerit, multa etiam nova atque egregia addiderit. cui libro, poſt ejus mortem, tantus honor eſt habitus, ut à multis ſummis viris vehementiſſime expetereretur, ac quæreretur; ſed inventum eſt, veniſſe eum in poteſtatem Io. Caroli Medicæi, Ferdinandi, magni Etruriæ Ducis, germani fratris, ab eoque, theſauri cujuſdam loco, ne diripiatur, omnibus cuſtodiis ſubjectum haberi. Cum igitur tantos in eo ſermone progreſſus feciſſet, ut progredi longius non poſſet, multis in operibus ſcribendis ſtylum, quem, veteribus poëtis & oratoribus legendis animadvertendiſque, formaverat, tanquam in medium eduxit: ex quibus operibus Progymnaſmata tantum poëtica typis mandanda curavit; neque tamen ſuum illis, ſed Vdeni Niſieli, nomen inſcripſit. Reliqua cum jam promta atque expedita haberet, ac prope in eo eſſet ut ederet, abductus eſt ab hac cogitatione, à quodam vehementi divini numinis afflatu; cujus vi impulſus, in intimam animi ſui ſedem ingreſſus eſt, ibique, omnibus aliis cogitationibus faceſſere juſſis, reputare ſecum ipſemet cœpit, quam inanes eſſent noſtræ contentiones, quam ſtulta conſilia, fragileſque ſpes omnes, quas mors antea perverteret, & in ipſo curſu obrueret, quam poſſent portum aſpicere; quamque nihil eſſet, in hac miſera & exigua vita, ob ingenii & eruditionis famam, in omnium ore atque ſermone verſari. Itaque, relictis ceteris ſtudiis, vitæ ſuæ tabernaculum in rerum cæleſtium divinarumque meditatione collocaverat, ac quotidie horam integram, ad ſacram Deiparæ Virginis Annunciatæ imaginem, in attentiſſima ejus myſterii aliorumque contemplatione defixus, conterebat: reliquum tempus, vel pietatis operibus dabat, vel in ſacrorum librorum Conciliorumque lectione collocabat; atque exercitatione ſtudioque tantum profecerat, ut omnium peritiſſimus haberetur. Statura fuit procera, capillo nigro, truci vultu, ſed à quo plurimum mores diſcreparent. Sed quia humilis illi pagus, ubi naſceretur, contigerat; ortus enim eſt Alverniæ, qui locus, Comitū De bardis imperio ſubeſt; quod potuit, naturæ errorem correxit, ſeque Florentiam

tiam contulit; ubi, cum duos & triginta compleſſet annos, eſt mortuus.

XXXII. POMPEIVS ROGERIVS.

QVid eſſe dicam cauſæ, cur ſive natura ſive Deus, raro excellentem cujuſquam ſapientiam ab aliqua admiſtione ſtultitiæ ſejunxerit, niſi, ne efferantur hominum animi, ſibique, non Deo, unde, tanquam à fonte, omnia in nos bona decurrunt, id, quo ceteris præſtant, ferant acceptum? ut nimirum intelligant, ſe, ab ipſis quod deſipiant, à Deo quod ſapiant, habere. Ac fortaſſe, ne Pompejus Rogerius in hanc fraudem incideret, paſſus eſt eum Deus in illam inſaniam, qua captus eſt, & in qua obiit, incurrere. Erat memoria ſumma, ingenio peracri, infinita rerum, jam inde ab initio generis humani uſque ad noſtra tempora geſtarum, ſcientia; quas res, adeo memoria comprehenſas habebat, ut indidem eas, tanquam ex aliquo promtuario, cum eſſet opus, expromeret, atque adeo eloquentia, qua præſtabat, ad vivum exprimeret; ut eas non legiſſe, ſed vidiſſe, & cum hominibus illis, de quibus erat ſermo, vixiſſe videretur. Ac fiebat interdum, ut in circulis amicorum, ſi veteris cujuſpiam facti memoria uſurparetur, iique, quos inter erat ſermo, à fide hiſtoriæ aberrarent; ab ipſo corrigerentur, ac, ſi correcti nollent in viam redire, efferretur iracundia, ac ſæpenumero, qua erat animi impotentia, ad verborum contumelias deſcenderet, neque eos ſolum, ut iratorum mos eſt, rudes, atque omnium rerum imperitos, verum etiam, fungos, bardos, codices appellabat. Hæc, atque alia etiam, his majora, in eum olim maledicta congeſſit, qui amplam atque copioſam domi ſuæ bibliothecam habet exſtructam, ubi, quidquid orationum, hiſtoriarum, carminum, juris civilis, ſacrarumque literarum commentariorum, medicinæ, geometriæ voluminum eſt, etiam è tecto tenus extructa loculamenta cernuntur, libri autem ipſi, ſcite eleganterque illigati atque veſtiti, ſed quos tum ipſi tum aliis religio eſt tangere; ſunt enim ad ornatum, non autem ad uſum, expoſiti. Hic, inquam, tam nobilis bibliothecæ dominus,

die

die quodam, cum, in taberna notiſſimi bibliopolæ, apud eos, qui ſecum aderant, facti cujuſdam narrationem Dioni Caſſio tribueret, qui multos ante annos mortuus fuerat, quam illud, de quo erat ſermo, contigiſſet, commotus Pompejus, qui & rem ejuſque auctorem rei probe meminerat, Abi ſis hinc, ait, ignaviſſime, qui, cum ſis deſidioſiſſimus, bibliothecam, oſtentationis gloriæque cauſa, habes; at libri non ad eum ſunt uſum iuventi, ut ab illis, tanquam à re ſacra, manus abſtineas, ſed ut eos ſumas, legas, verſes, in manibus habeas. Sed non mirum, ſi tam multa legiſſet: nam, incredibili celeritate, libros percurrebat: quod licebat animadvertere ex capitis motu, (nam id erat illi vitium, ut, legendo, caput moveret,) quo capite, rapido incitatoque curſu, unamquamque lineam luſtrabat, nec uſpiam hærebat; ſed, quia erat luſcus, ac minimum oculis utebatur, cum legeret, ita ori paginam admovebat, ut eam etiam naſo araret. Illud vero mirum, quod, cum infirmiſſimis eſſet oculorum viribus, ut diximus, cum ad ſcribendum ſe conferebat, ita minutis literulis paginas exarabat, ut acutiſſimorum etiam hominum aciem effugerent. Aliquot quotidie horas ſtudiis detrahebat, quas teſſeratum ludo dabat; atque difficile erat, alterum invenire, qui majore ejus ludi ſtudio teneretur. Verum, ob neſcio quam diſtillationem, quæ, à capite oriens, defluebat in collum, eam animi ægritudinem mœroremque contraxit, ut ad inſaniam adigeretur. Primum, mortis neceſſitatem, & divini judicii ſeveritatem, in conſpectu ſemper habere, novum vitæ genus inſtituere, nihil niſi de æterna vita cogitare, corpus jejuniis, vigiliis, verberationibus, aliiſque pœnis, ultro ſuſceptis, afflictare. Sed haud quidquam adhuc pro inſano fecit, vel dixit, ſed contra, ſumma cum prudentia atque ſapientia, omnia: tum vero ſtulti ſpeciem non potuit effugere, cum libros, quos centum aureis coëmerat, octo vendebat, ut precium in aliis ſpiritualibus libris collocaret. poſtremo, prorſus mentem ab eo abiiſſe, impia illa eſt teſtata oratio, mortiferæ eidem fraudi futura, ſi à ratione, non autem ab aliena mente, prodiiſſet, qua pro certo affirmabat, contra æternam damnationem nullum ſibi in divina miſe-

ricor-

ricordia esse perfugium. & in hac insania, cum omnes religiosorum hominum, qui frequentes illi aderant, contrarias rationes respueret, usque ad extremum vitæ spiritum perseveravit.

XXXIII. IO. DOMINICVS CIAIESIVS.

VArium ac multiplex esse insanientium genus, prout variæ atque multiplices sunt rerum imagines, quibus illi addicti tenentur, superfluum est, ac non necessarium, pluribus verbis ostendere. Mitto eam, quæ, acuta in febri, ægros male habet, quam Græci *φρενίτιν* appellant. nam hæc, levato accessionis impetu, sine mora dilabitur. De ea, quæ continua est, loquimur, quæque nos in risum hilaritatemque impellit. quæ ratio ridiculi, in iis sedem habet, qui se primos esse rei cujuspiam volunt, nec sunt. à quo genere morbi paucos mortalium esse immunes invenias; quod vix centesimus quisque, in eo quod profiteatur, sive sit poësis, sive eloquentia, sive suæ formæ elegantia, sive quid aliud, ceteris, qui sint ejusdem professionis, non anteire se credat. quod si assentator quispiam accesserit, qui illi ultro arrideat, ejusque ingenium admiretur simul, hic protinus ex stulto insanus evadet. Hoc hominum, ridicule insanientium, genere non minimum delectabatur Leo x, Pontifex Max. cujus Gnathones, quos circa se habebat, dabant operam, ut eos, quibus levis mens esset, ad insaniam adigerent, seque eos esse, qui non essent, arbitrarentur. In quo mirabiliter lusus est à quodam, cui petenti aditum conveniendi non dabat: qui cum multos dies expectasset, atque omnes ad Pontificem allegationes difficiles, omnes aditus arduos intercluso sque videret, seducto Pontificii cubiculi præfecto in aurem dixit, se esse poëtam, solum præter ceteros, qui sua vellet carmina Pontifici tradere, quibus lectis obstupesceret, horreret, ad incredibilem admirationem efferretur. quo ille audito, ventis atque avibus ocius advolavit in Leonis cubiculum, atque hilaritate lætitiaque redundans, Invenimus,

mus, inquit, perfectæ insaniæ hominem, qui tibi voluptati maximæ erit. At ille sine mora intromissus, ex illis se integumentis simulationis evolvit, causam, cur insaniam simulasset, aperuit, negocium, quod volebat, exposuit. itaque ille deridiculo eos habuit, quibus ludendus tradebatur. Sed ut ad Dominicum, Doctorem Ciajesium vulgo appellatum, veniamus; hic cum in amicitiam Ducis Garavini perveniisset, Dux statim hominis ingenium est odoratus, &, tanquam solum quoddam, existimavit esse, in quo si sementes facta fuissent, magnæ indidem stultitiarum fruges essent proventuræ. Neque eum mentita est seges, sed fructus plurimos extulit. Ac primo, facile illi fuit persuadere, posse se equos alere, quibus Neapoli rheda veheretur, atque etiam equos cum rheda muneri sibi missos. at ille, qui solo vitam pane oblectabat, atque, si is aderat, magnas Deo gratias habebat, cum quod ageret non haberet, quotidie ostiatim cibum equis emendicabat; quem facile inveniebat; quoniam ejus stultitia jam emanarat in vulgus, & ipse, versibus Latinis, quos fundebat ex tempore, ac Iuris civilis & Philosophiæ nodis, magna cum sermonis suavitate dissolvendis, mire sibi hominum animos conciliabat. Sed cum jam rhedæ equorumque tæderet, Florentiam se contulit, in magni Ducis aulam facetiis insinuavit, atque à Ferdinando, hujus nominis primo, exceptus est, inter parasitos ac ridiculos homines aulæ. verum, quia probis erat moribus; nullum enim verbum, nullum ridiculum dictum dicebat, quod turpitudinem aliquam tegeret; & quia Latino sermone perinde ac vernaculo utebatur, traditus est ab eodem Ferdinando liberis suis, ut, illius consuetudine usuque edocti, assuescerent loqui Latine. At, per id tempus, magna illum cupido incesserat, inter Doctores Iuris civilis perveniendi. quamobrem Ferdinandum opere orabat maximo, ut, sua voluntate, Pisas ire, eumque ibi honorem sibi adipisci liceret. ac Ferdinandus, quia existimabat, locum illum honoris pollui, si eum ridiculus homo atque inter ludibria aulæ, quamvis idoneus, adeptus foret, id illi beneficium constantissime pernegabat. sed cum ejus cupido in dies magis magisque incenderetur

tur, die quodam furtim Florentia egreſſus, Piſas ſe contulit, & ab iis, quorum hæ partes erant, perſoluto antea pretio, Iuris utriuſque interpretandi facultatem coëmit. Nec mora; cum ejus facultatis diplomate, arundini impoſito, in aſino ſedens, ovanti ſimilis, eſt Florentiam ingreſſus. Quod ubi Ferdinandus accepit, uſq; eo commotus eſt ira ac ſtomacho, ut vehementes, ad eos qui illum cooptaverant, literas dederit; in quibus graviter querebatur, quod auſi eſſent, in ſuum atque illius Gymnaſii dedecus, talis notæ viro eum locum ac numerum dare. qui reſponderunt, ignoraſſe ſe, quid illic hominis eſſet; verum, jam diu neminem illuc veniſſe, eum emtum locum, qui, periculo facto, eo dignior inveniretur. Atque ab eo die cœptus eſt non alio, niſi Doctoris Ciajeſii nomine appellari. Pluribus rerum inanium imaginibus, quemadmodum ſolent ii, in quibus perfecta eſt inſania, addictus tenebatur; ſed non aliis magis, quam galli Indici, quem ſemper in ore habebat, & ſoricis, quem pluviali indutum Pontificio, cum equitum Hieroſolymitanorum inſignibus, perpetuo ſibi ante oculos obverſari ajebat. Fuit præterea multis aliis ſummis viris, quibus ridiculi homines erant in pretio, eximie carus; ut Card. Montalto, à Monte, Peretto, qui, me audiente, ridiculorum hominum, quos ad eam diem audiſſet, primas ei deferebat; aliiſque. Sed tandem Neapoli, ſtipem quæritans, eſt mortuus, ubi Comitem Montis Regii, cum adeptam illi Proregis provinciam gratularetur, his omnibus eum cognomentis affecit, Illuſtriſſimi, ut Comitem, Celſitudinis, ut montem, Majeſtatis, ut Regem, Excellentiæ, ut Proregem; hoc enim Proreges titulo cohoneſtantur.

XXXIV. SEBASTIANVS BERETTARVS.

ERant in ipſis propemodum Societatis Ieſu initiis, recenti adhuc S. Patris Ignatii memoria, in quibuſdam præſtantibus Societatis ejuſdem viris, ſi non magna ingenia, admirabilis tamen, in erudiendis, prima illa

illa puerili inſtitutione, adoleſcentulis, induſtria; quam illi induſtriã, ut alibi de Turſellino ac Brunello diximus, caritatis igne ſuccenſi, ad proximi utilitatẽ conferre ſtatuerant; idq; à ſuperioribus, in beneficio & gratia, petebant; atq; illi erant gratioſi in concedendo. Itaq;, omiſſis ceteris ſtudiis, habitarunt in hoc uno, videlicet in tradenda juventuti, Latinæ orationis formandæ, via atque ratione. Ex hoc genere in primis fuit Sebaſtianus Berettarus Florentinus, homo, factus ad id munus: quo, non facile quemquam me vidiſſe dixerim, (nam ſæpius, diſcendi ſtudio incenſum, ejus me opera contigit uti,) qui planius, ſcientius, ac melius doceret. Qui cum illud intelligeret, quod perſuaſum eſt omnibus qui aliquem hujus rei guſtum habent, Ciceronem eſſe unum, quem præ ceteris, ad imitandum, adoleſcentes omneſque ſibi proponant; non ſolum aſſidua illius lectione eo, ſtudio atque imitatione, intendit, ut divinum illum dicendi ſcribendique Latine magiſtrum exprimeret; ſed, quo tota illum mente atque animo intueretur, atque ita ſcribere conſueſſet ut ille, omnia illius opera, ſua manu, deſcripſit. id quod à Cicerone ipſo, de orationibus Demoſthenis, eſſe factitatum accipimus. Quid igitur accidit? majus quiddam eo, quod de ſe fatetur Antonius. ille enim, cum ad libros Græcorum legendos accederet, ita ſentiebat, orationem ſuam, eorum cantu, quaſi colorari, quemadmodum coloratur is, qui in ſole inambulat: at hic, ex Ciceronis eloquentiæ lumine, in cujus contemplatione ita attente ſtudioſeque oculos defixos habebat, non ſolum ſcripta ſua aliquid coloris attrahere, verum etiam, ad illius ſimilitudinem ſplendoris, illuſtria, omnium ad ſe oculos convertere animadvertebat. Quod ex Pauli Manutii diſciplina hauſiſſe videtur; qui, in ſcribendo, ita ſuis Ciceronem veſtigiis perſequebatur, ut exiſtimaret, nuſquam pedem, niſi ubi ille poſuiſſet, ſibi fas eſſe defigere. Quæ res minime quibuſdam probabatur, qui non æquum eſſe ajebant, Latini ſermonis elegantiam, ex latiſſimo campo, in unius Ciceronianæ dictionis terminos fineſque, concludere. Quamvis in hiſtoria non nihil ſe à ſimilitudine Ciceronis abſtraxerit, & ad hiſtoricorum imitationem traduxerit; ut apparet ex vita

P. Ioſephi Anchietæ; per quem, in inſulis Canariis, Deus admirabilia, ac ſupra naturæ vires, effecit. Atque, ad tot codices, quos, tum Ciceronis tum ſuis operibus ſcribendis deſcribendiſque implevit, nunquam dexteram, ſed lævam ſemper manum, adhibuit. erat enim ſiniſter; ſed eadem, celerius ac firmius, quam alii dextera ſoleant, utebatur. Magna fuit apud ſummos ac doctos viros exiſtimatione; à quibus ſæpe, de rebus ad elegantium literarum ſtudia pertinentibus, conſulebatur; & in his, à Io. Iuvenali Ancina, Salutiarum Epiſcopo, eximiæ ſanctitatis doctrinæque viro; ad quem epiſtolam, à Sebaſtiano miſſam, aſpexi, eo cultu atque nitore, ut, cum expleri ſatiarique non poſſem, centies eam perlegerim. Extrema ſenectute illud ſibi belliſſimum ſolatium relictum eſſe, mihi narrabat, ut, feſtis diebus, Baſilicam S. Mariæ Majoris adiret, ut veſpertinis ibi horis intereſſet. nuſquam enim eas magis ex animi ſui ſententia, quam in eo templo, cani celebrarique ajebat. à quo reverſus, ut P. Virgilium Cœparium, Collegii Romani tunc Rectorem, mihi dicere memini, jentaculo ſe reficiebat; quod aliis etiam diebus, cum in opere aliquo ſe exercuerat, factitabat. Neque in his tantum liberalibus diſciplinis, ejus ſe continebat induſtria, ſed ad alia etiam munera ſubeunda egrediebatur. nam & confeſſiones audiebat, & Collegiis nationum, quæ Patrum Soc. Ieſu prudentia & auctoritate reguntur, magno ejus opera uſui eſſe reperiebatur. Denique, plenus annis ac meritis, ut ejus vita, innocentiſſime acta, nos credere perſuadet, evolavit ad Deum; qui nunc illi gratiam pro meritis refert.

XXXV. FRANCISCVS ROGERIVS.

QVi de vitæ genere eligendo conſultant, illud ſequantur oportet, quod cum ea arte conveniat, cui, ab ineunte ætate, ſuam operam ſtudiumque tradiderunt; ut, cum aberraverint, non ſit illis poſtea integrum, pedem ab errore deflectere. Sed cum, à Philoſopho, certa vitæ ineundæ ratio exquiritur, nihil illi minus convenire

venire arbittor, quam connubium. nam, quid illi re[s] fit cum corporis illecebris, cujus mens, ſublimium rerum contemplationi dedita, peregrinetur in cælo? etenim neque Philoſophiæ, quam tanquam filiolam amplexari ſe dicit,, ſatisfacit; neque uxori, cui operam dare jubetur, animum explet. Quod ſi Franciſcus Rogerius, Romanus, ſedulo cogitaſſet (quamquam ille non fuit Philoſophus, ſed poeta) quantum in re uxoria ſit incommodi ad ſapientiam, nunquam homo, elegantium literarum ſtudiis deditus, in eas ſe tricas conjeciſſet, unde nunquam ſe explicare ſibi fas fuit, neque eam ægritudinem contraxiſſet, quæ omnem fere illi ex animo hilaritatem extraxit. Noram ego, illũ non pueriles ſolum annos, & adoleſcentiã, ſed bonam etiam virilis ætatis partem, in ſtudiis literarum conſumſiſſe; videram etiam ſæpe, ab amicorum ſocietate disjunctum, in aliquem ſolum locum, meditatum abire; offenderam aliquando, extra portam Flaminiam, vel Collinam, cum libro, & in attenta ejus, quod legiſſet, meditatione defixum: nulla erat illi, quod quidem animadverti poſſet, cum muliere aliqua familiaritas conſuetudoque, nullus, niſi cum doctis ac literatis viris, uſus & amicitia, nullus ſermo niſi de literis; nuſquam, cum ſe à ſtudiis abſtraxiſſet, ac paululum ſolitudinis faſtidium cepiſſet, prodibat, niſi ubi de rebus, ad literarum ſtudia pertinentibus, ſermones conventuſque haberentur; veſtitus modeſtus, ac propius ad illum accedens, quo utuntur Eccleſiæ miniſtri. ſed, cum ſumme expectarent homines, vel, dum ad inſigne aliquod ſacerdotium eveheretur, vel etiam ad Epiſcopalis muneris faſtigium aſcenderet; ecce tibi, levis cujuſdam rumuſculi odore, ad amicorum, hominum ſagaciſſimorum, nares affertur, Franciſcum non inſcitam nec invenuſtam puellam ſibi matrimonio junxiſſe, ut cum ea, vel in ea potius, inferioris arcana naturæ perſcrutaretur. Quod, cum aliis novum, aliis mirum, aliis incredibile videretur, incendit ſtudia quorundam, ut odore illo, tanquam leviter preſſo veſtigio, vulpem proſequerentur, hoc eſt, ad ejus rei caput pervenirent. ſed inanem operam ſumſerunt: nam ita ille omnes, ad ejus notitiam rei, vias, ſua ſuorumque taciturnitate, tan-

quam frondibus ac virgultis, obſtructas habuit, ut nemini liceret progredi longius. Paucis ſe in conſpectum dabat; ire publica via, verecundabatur; percontantibus de ea re, alia omnia reſpondebat. Verum, cum jam pulcre uxori venter intumuiſſet, neque adhuc circuli illi eſſent inventi, qui, ut nunc ſunt mores, mulierum ventres ambiendo, veſteſque ab iis removendo, eorundem inflatus tumoreſque celarent, cumque ad pariendum vicinæ eſſet obſtetrix accerſenda, nutrix, quæ illi, quod peperiſſet, mammam daret, invenienda, aliaque multa paranda, quæ ſint neceſſaria puerperæ; cum, inquam, inſtarent hæc omnia, ſe ex illis integumentis diſſimulationis tandem evolvere, ac maritum eſt fateri coactus; ita tamen, ut pudentis in eo ſibique diſplicentis animi ſigna aſpiceres. Iam vero, cum in re familiari non ita ampla atque lauta eſſet, neceſſe habuit petere auxilium ab eo, cujus patruum, ſuis ipſe carminibus in cælum extulerat: à quo donatus eſt facultate interpretandi, in Gymnaſio Romano, morales Ariſtotelis libros; ſed non ita magno cum ſtipendio. quod munus, ut poterat, obeuntem vita defecit. Erat vir probus, mitis, modeſtus, fugitans litium, non pertinax, non iracundus, ſuavis amicis, nemini moleſtus. &, quamvis in aliis liberalibus diſciplinis ac præſertim in Iure civili, non eſſet indoctus ac rudis, poeticæ tamen facultatis laude præſtabat: ad quam, à natura, præſidii non minimum habuit; ut plura de eo, diſperſa, nec in unum corpus collecta, monimenta loquuntur; illudque in primis carmen, quo Vrbanum VIII Pont. Max. laudavit. Verum, ad id ſtudium, de quo dicimus, velis, ut ajunt, remiſque contenderat: ut autem in Græciam navigaret, atque, ab Ariſtotele aliiſque magiſtris, Philoſophiæ præceptis inſtitueretur, ne à portu quidem navem ſolverat, nedum ut longo ſcopuloſoque evectus mari, earum regionum fines attingeret. Sed cum, neceſſitate cogente, ad egeſtatis terminos ſe compelli ſentiret, neque ab Apolline Muſarumque choro quidquam, niſi delicias meras, quæ ventrem non implent, neque quidquam rem familiarem adjuvant, acciperet; coactus eſt, ejus domini, quem diximus, opem implorare, eique, ſupplicibus verbis exponе-

ponere, facile rebus ſuis egenis, ac propemodum perditis, ſubveniri poſſe, ſi locum aliquem ac numerum, inter portitorum aliorumque telonariorum miniſtros ac famulos, obtineret. tantum non rogabat, ut bajulis adſcriberetur, qui in portibus aliiſq; locis, ubi vectigal ſolvitur, ligandis, volvendis ſolvendiſq; ſarcinis, ſuas operas locant. Cui ille, Inveniſſe me, inquit, arbitror, quemadmodum res tuas, dubias impeditaſque, certiſſimas & expeditiſſimas reddi poſſe exiſtimem; ac Philoſophiam moralem, in Gymnaſio Romano, auditoribus trade; hic enim locus, ſuperioris magiſtri morte, relictus inanis ac vacuus, dignus eſt, quem, tua doctrina atque ſapientia, impleas; teque ſtipendium, tuis æquum laboribus, conſequetur. At Rogerius, Ludis me? ait; egone audeam eam artem alios docere, cujus ipſe ſim funditus expers ac rudis? Tace, inquit ille, inepte; abi, ac ſtrenue in id ſtudium incumbe; nam vix menſis intercedet, cum ſummus philoſophus fies. Quid multis opus eſt? cogebat hominem præpoſterum fieri. nam prius eſt diſcere, quam docere. Sed, ne à Franciſco Rogerio longius declinet oratio; ille, quem tantopere pudebat uxoris, ut aëri, ſi fieri potuiſſet, celatum eſſe vellet, connubium cœlibi vita potius ſibi fuiſſe; ſimul ac maſculam ex ea prolem accepit, quam ſuo ſeminio impertitus fuerat, ita repente omnibus lætitiis inceſſit, ut nulla eidem major voluptas eſſet, quam, infantem puerum in ſinu geſtare, oſculari, quaſi pompam, hac illac circumducere, Mathematicos adire, orare, mercede etiam operam illorum conducere, ut modum inſpicerent, quo cœlum affectum ſideraque compoſita fuerant, cum puer primum ſpiritum duceret, ex eoque ejus fata canere non dubitarent, quem magnum virum fore, ingenitus parentibus in filios amor vaticinabatur.

XXXVI. LEPIDVS PICCOLOMINEVS.

DOcte eleganterque à non nemine dictum eſt, optimum cujuſque ingenium, fertilis agri ſimilitudinem ac ſimulacrum habere. nam, quemadmodum ager ille, ſi à cultoris induſtria non deſeratur, multo plus reddit, quam acceperit; ita fœcundum hominis ingenium, ſi exquiſiti cujuſpiam magiſtri diligentia accedat, qui liberalibus eum diſciplinis atque artibus excolat, uberrimos ex ſe fructus ac præſtantiſſimos efferet. Quid mirum eſt igitur, ſi Lepidus Piccolomineus, Senenſis, tantos in Iure civili progreſſus fecerit, cum in Fabii Benvoglientis, ea tempeſtate, legum antiſtitis, diſciplina fuerit educatus? Huic ſummo, omnium confeſſione, magiſtro, ſimul ac ex grammaticorum ac rhetorum ſcholis exceſſit, præſtantiſſimum ingenium ſuum, tanquam agrum, prima illa puerili inſtitutione novatum iteratumque, juris ſcientiæ ſeminibus quaſi conſerendum tradidit. quæ ſemina, ingenii gremio excepta atque concluſa, celerius multo, quam in aliis ſoleant, ſeſe effuderunt; adeo ut, non ſubſequi, ſed magiſtrum præire videretur. Sed, quod mirabile eſt, non tamen hæc ſemina, ut in præcocibus ingeniis ſæpe contingit, exierunt in herbulas, quæ, ſpicas imitatæ, ante meſſem flaveſcunt, ſed, penitus immiſſis radicibus, in ſolidas ac perductas ad maturitatem fruges evaſerunt. De hoc homine narrabat mihi Io. Franciſcus Fagnanus I. C. ſingularis & Congregationi Sac. Concilii Tridentini ab arcanis, cum Senis eſſet, eam à ſe in Lepido Piccolomineo vim doctrinæ animadverſam eſſe, ut, pluribus audientibus, dixerit, eum, ſi Romam ſe contuliſſet, ob eximiam excellentemque Iuris civilis ſcientiam, ſummum, in ejus aulæ advocatis, nomen habiturum, ſi vero ad capeſſendam Remp. animum adjeciſſet, ob morum probitatem ſuavitatemque, ad ſummam amplitudinem eſſe perventurum. Neque aliter res cecidit, atque opinatus fuerat. nam cum jus civile in patria interpretaretur, intelligeret-

que

que, theatrum illud anguſtius, quam ſuæ virtutes poſcerent, eſſe, Romam venit; ubi ejus ingenium, in quadam cauſa, ſimul perſpectum & probatū eſt, tum avide expetitum, à viro principe, cui erat ſumma, in omnes Eccleſiaſticæ ditionis magiſtratus, auctoritas & imperium à Gregorio XIII Pont. Max. demandatum ac traditum. Sed eo, non ita multis annis interjectis, exſtincto, ſpes Lepidi omnes ad Io. Baptiſtæ Cardinalis Caſtaneæ domū, unde ſecundus flatus oſtendebatur, vela dederunt. Delectabatur mirifice Cardinalis ille eruditione ejus atque doctrina, in eaque magnum ſibi eſſe uſum, & ad cauſarum cognitionem, & ad legum intelligentiam, experiebatur. quarum ita ille legum capita ac numerum noverat, ut, ſi, cum una ſtudiis operam darent, legis cujuſpiam, ſive in Pandectis ſive in Codice Iuſtitianeo continerētur, inſpiciendæ neceſſitas cogeret, ejuſque inveniendæ cauſa Cardinalis ad iudicis opem confugeret, vetaret ille: ac, Mane, ajebat, mox ego hunc tibi laborem perquirendi faciam lucri: apertoque libro, continuo ea ſe illi in conſpectum, quæ erat in quæſtione, lex dabat. Sed ipſemet aliquanto poſt ſenſit, id à ſe neque prudenter neq; ex optimis moribus fieri, quod, contra ſapientis præceptum, videri ſe vellet, plus quam dominum, ſapere; erroremque correxit. Proſpero ac flante ad voluntatem vento, ejus, quo curſum intenderat, navis ferebatur; cum alia Spiritus Sancti aura, ex adverſo exoriens, quem curſum navis tenebat, mutare, ac in longe diverſas regiones dirigere compulit. nam, divino afflatus Spiritu, cœpit ipſemet ſecum cogitare, ac diligenter expendere, levitatem, inconſtantiam, vanitatem, earum rerum, ad quas omnibus, ut ajunt, velis remiſque contenderet, utque ſæpius plures dolendi, quam lætandi, cauſas afferant; contra, ea, unde iter averteret, quam eſſent certa, ſtabilia, nunquam fallentia, nulliſque caſibus obnoxia. Quæ cogitatio, cum ejus in animo acriter vehementerq; pugnaret, fecit primum, animi ut incertus eſſet, ambitionine, ac rei familiaris augendæ ſtudio, an cogitationi illi obſequeretur magis, quæ aderat, inſtabat, urgebat, ut, tutiori navigio atque aura vectus, ad portum æternæ ſalutis conaretur appel-

lere. Sed vicit tandem cogitationis illius æquitas, ac salutis suæ ratio; ad quam, hoc tam infesto periculosoque mari, ut navigaret, ex exigua putrique cymba in tutissimam munitissimamque, adversus prædonum impetus, Societatis Iesu navim se contulit. Sed nulla navis est tam magna, tamque munita, quam maritimi fluctus aggredi, ac prædonum classes oppugnare, non audeant, ut etiam ex propugnatoribus aliqui, undarum vi pulsi, dejiciantur in mari, vel, à prædonibus capti, in servitutem abripiantur. Quamobrem Lepido, in hac etiam navi, non semel periculum fuit, tum à fluctibus, tum à maritimis furibus; ab illis, ne, raptus atque obrutus, in profundum abstraheretur; ab his, ne, captus, æternis vinculis tenebrisque mandaretur. Primum, cum perlatum ad illum est, Cardinali Castaneæ, à Patrum amplissimorum Senatu, Pontificatum Max. demandatum fuisse. tum enim, sæva, illius in animo, tempestate, à spe, quam dimiserat, oborta, parum abfuit, quin ab ea opprimeretur. itaque à P. Claudio Aquaviva, tum Soc. Iesu Præposito generali, in beneficio & gratia petiit, ut paululum ab Vrbe recedere, & dies aliquot Tusculi sibi esse liceret; quod vereretur, ne Romæ, multa audiendo videndoque, auribus atque oculis veteres honorum opumque cupiditates excitarentur, suumque arctioris vitæ propositum consiliumque despiceretur. sed brevi, tam sæva tempestas, celeri Pontificis morte sedata est, & tranquillitas summa successit. Deinde, ab iracundiæ æstu se nonnihil abripi, & in portu turbari permisit. unde ferme Societatem deseruisset; quantumvis in ea, ob excellentem doctrinam, fieret ab omnibus plurimi, & moralem Theologiam in ipsorum Gymnasio docendi munus accepisset, ac tum præsertim magno esset apud omnes in honore, quod, cum de Archiepiscopo Senensi in demortui locum subrogando ageretur, ipse à Ferdinando, magno Etruriæ Duce, in primis expeteretur. Sed à me, quem patria caritate complectebatur, rationibus victus, atque ad se reversus, sententia destitit, ac provinciam, sibi mandatam, laudabiliter, usque ad vitæ exitum, gessit. Qui exitus, celerius illi multo, quam ætas poscceret, contigit, (nondum enim ad quinquagesimum vitæ suæ annum

num

num pervenerat,) ob inexplebilem discendi cupiditatem; cum nullum sibi tempus, à literarum studiis vacuum, daret.

XXXVII. FABIVS SERGARDIVS.

QVamvis natura comparatum sit, ut, ex infinita pene hominum multitudine, alius aliam rem, in qua se exerceat, occupet, ad eamque animum & cogitationem suam adjungat, nimirum hic ad literarum, ille ad militaris vitæ studia se conferat, hic in mercatura, ille in agrorum cultione se vortat, alii in rerum naturalium causis exquirendis, alii in corporibus curandis, totos se collocent; denique, pro ut varia sunt hominum ingenia, unusquisque in eo elaboret, ad quod majora se à natura adjumenta habere intelligit; nam pessime cum hominum genere actum esset, si unum omnes æque studerent, & reliquarum rerum voluntates & curas abjicerent: quamvis, inquam, hæc ita sint ut dicimus, nec mirum videri debeat, si unus in una re magis, quam in altera, toto pectore atque omnibus nervis incumbat; tamen in Fabio Sergardio, Curtii Senensis filio, non levis iis, qui eum noverint, quærendi cura injicitur, quid sit, cur Roma, orbis terrarum arce, relicta, in qua natus, altus, doctus educatusque fuerat, Senas se contulerit, ibique ætatem agere, ingenii sui vires expromere, ac vitam finire statuerit. Erat in homine ingenium, ad omnia summa natum, Iuris civilis scientia, multæque præterea literæ, generis claritas, cum omnibus fere nobilitatis Romanæ familiis arcta cognationis affinitatisque necessitas: nam parens sua, Martia, ex vetere nobilique Rusticorum genere originem duxerat; quod, aliquot ante annos, quæ est rerum omnium humanarum conditio, ut omne, quod ortum sit, mortalitas consequatur, una cum Francisco Rustico, ultimo ejus familiæ, prorsus extinctum, evanuit. Quamobrem, tot auxiliis sublevatus, poterat, per gradus magistratuum ascendens, ad honores maximos pervenire; quorum honorum cupiditas,

prope innumeros, ex omnibus orbis terræ partibus, Romam ſemper attraxit, qui, nulla extrinſecus ope adjuti, ſuopte ingenio perquam latos ſibi, ampliſſimos ad honores, aditus aperuerunt: & tamen voluit in eorum numero eſſe, quos quidam, in ſomnis laborare, dixit; cujuſmodi ſunt ii, qui honores in municipiis quærunt. Nam, & Senis, publice in Gymnaſio, Etruſcæ eloquentiæ præcepta tradidit; tum, vicarius Archiepiſcopi illius partes geſſit; quod munus adminiſtrantem, vita defecit. Marcello Veſtrio Barbiano vita functo, qui Fabii materteram in matrimonio habuerat, quiq; Gregorio XIV, Clementi VIII, & Paulo V, ſummis Pontificibus, à brevibus fuerat, legi ſchedulam, illius manu ſcriptam, ubi, tanquam ſi jam Cardinalis factus eſſet, (quod & fieri potuiſſet,) totam familiam deſcripſerat, quibuſque illi libitum fuerat, ſingula ejus munera diſtribuerat; ac Fabio epiſtolas Italice, mihi Latine ſcribendi partes aſſignabat; quo conſilio, neſcio. Sed mors omnes illius rationes ſubvertit. nam, & Cardinalatum illi intercepit, & duorum labori hominum, mei Latinas, Fabii Italicas epiſtolas exarandi, pepercit.

XXXVIII. HIERONYMVS LAMPVGNANVS.

QVod in ore vulgi & in communibus proverbiis prope verſatur, ex omnibus præſtantiſſimis artibus, quibus optima hominum ingenia ſtudium ſuum atque operam tribuunt, Iuris ſcientiam in primis eſſe frugiferam ac fructuoſam, præter multos, quos, ex nulla vel tenui re, quotidie, ab hujus artis ſtudio, ad maximas divitias perveniſſe videmus, oſtendit Hieronymus Lampugnanus Mediolanenſis, Subdiaconus Apoſtolicus: qui, ubi primum ad Philoſophiæ ac Theologiæ ſtudia operam ſuam contulerat, atque etiam eas aliis doctrinas publice tradendi facultatem acceperat, cum, nullum ex iis fructum utilitatemque ſe percepiſſe, animadverteret, niſi ut in ſcholis, aut in publicis diſputationibus, garriret, iis omiſſis, ſe ad Iuris prudentiam tranſtulit. qua

plane

plane percepta, ejus interpretandæ docendæque potestatem adeptus est; unde sperabat, labores, quos in ea, tanquam in fœcundo ac fertili solo, quasi semina collocasset, magno sibi cum fœnore proventuros. quæ spes ne ipsum falleret, sed quam celerrime ex sententia procederet, noluit expectare, dum, à litigantibus, de jure consuleretur; quod, nisi post longum tempus, non solet accidere; neque voluit apud minores magistratus, hac illac concursando, pro reis causam dicere, quod laboris habet multum, utilitatis parum; sed, magis compendiaria ad pecuniam faciendam via, statuit, domi ocioso adolescentibus, qui ad studium juris prudentiæ ingrederentur, facilem ad illud aditum aperire, atque Iustinianeas juris civilis Institutiones, mercede, interpretari. Verum, ut se doctorem ac magistrum, ex hominum, qui illum non nossent, ignoratione, tanquam integumentis, evolutum, ostenderet, dedit operam, ut in Gymnasio Romano jus civile gratis interpretaretur. quod illi non fuit difficile impetrare. &, quo, studio majore, auditores, suas ad scholas, tanquam, ad mercatum juris prudentiæ, concurrerent, edictis propositis populum admonuit, se tali die initium docendi facturum; omnesque præterea, quotquot noverat, invitavit; ac me quoque, gratiæ scilicet causa, secum adduxit. sed repente, tantus hominum concursus factus est, tam magni clamores editi, ut, nisi turba opprimi vellem, nisi exsibilantium vocibus obtundi, necesse mihi fuerit, ex illa concione, in quam me immerseram, tanquam ex aliquo jactato adversis tempestatibus mari, emergere, meque in Ædem D. Iacobi proximam, quasi in portum, recipere. Non cessavit deinde, statis ad docendum diebus, scholas habere; ad quas accedebant adolescentes plures, ejus disciplinæ studiosi, tum ab amicis tum à Patribus Soc. Iesu missi; à quibus domum, honoris gratia, reducebatur, & in via interrogabatur de iis, quæ in schola tradiderat; quæque minus ipsi intellexerant, explicando docendoque faciebat illis satis. At, ubi sensit, se in possessione docendi constitisse, inanem illam publice jus civile tradendi operam laboremque contemsit, cœpitque domi, mercede, docere. Ac

mirum

mirum dictu est, quam multi adolescentes, nobiles ac divites, brevi ad illum tempore in disciplinam convenirent; quod id studium necessarium sit iis, qui forum, aulam, & honores meditantur. Auxit etiam opes parsimonia; quæ admirabilis in eo fuisse narratur: auxit contubernii magisterium; nam contubernales domi plures alebat, sed ad mercedis, quam ab ipsis capiebat, rationem, quæ erat magna, satis parce ac tenuiter; adeo ut, quod Sabbato piscium, vel die Iovis carnium, supererat, aceto, aliisque condimentis, à putredinis injuria tuebatur, ac suo deinde tempore, convictoribus suis, tanquam delicatum aliquod edulium anteponebat. &, cum, die Iovis, puls quædam panis obtriti, ex jure, esset allata, eamque omnes repudiassent, quæsivit, Quidnam ea igitur fiet? cui, non irridicule, respondit unus, Quid, rogas? condiatur, ut proximo die Dominico, pransoribus in prandium proferatur. Pecuniam autem, quam cogebat, non sinebat, in arca inclusam, apud se operam perdere, sed usura centesima locabat. Sed, quia sæpenumero fit, vel, ut debitorum improbitate, qui per dolum assimulant, se decoxisse, vel morte eorum, quorum vitæ periculo pecuniæ fœnori dantur, sors & fœnus una depereat; contigit, ut noti cujusdam decoctoris fuga, una cum multis, hoc eodem calamitatis jure comprehensus sit, & millia aliquot aureorum amiserit. Quæ jactura tantam ægritudinis vim in eum invexit, ut, ab eadem de mentis statu dejectus, menses aliquot helleboro curandus fuerit. atque ad hanc eandem ægritudinem non minimum contulit, consilium, quo, paucis ante diebus, schola contubernioque dimisso, se in Trivultii Cardinalis ac Principis aulam dederat, ut esset illi à cognitionibus. intelligebat enim, ingenti illo lucro, quod ex utraque re percipiebat, se esse privatum. Sed paulo post correxit, quod præviderat minus. nam, aula valere jussa, rursus ad eas artes, à quibus discesserat, sese recepit, in eisque, usque ad ultimum vitæ spiritum, permansit. Quo tempore, cum congregationis nostræ Sodales, in quibus ille una erat, plures coissemus, ut in vinea quadam essemus de symbolis, jamque alacriter prandium iniissemus, P. Franciscus Carrettonius, qui tum So-

Sodalitati præerat, neſcio quid, per jocum, dixit; quod ille, ſecus ac prolatum fuerat, accipiens, vix ſe continuit, ut poſtea mihi ipſe narravit, quin cultrum, quem habebat in manibus, ejus pectori infigeret. Vnde licuit mihi colligere, quantum periculi ſit, ei, cui parum mens conſtet, ſe committere. Vix ex eo morbo, quo fuerat correptus, convaluerat, cum ſum donatus ab eo, uno ejus libri, quem ediderat, exemplo; qui liber hoc titulo erat inſcriptus: *Hieronymi Lampugnani I. V. Philoſophiæ, ac ſacræ Theologiæ Doctoris, compendium introductionis ad Iuſtinianeas Inſtitutiones, de ratione ſtudendi in utroque Iure.* Cum denique, anni CIↃIↃCXLIV hyemis ſævitia, quæ multos mortales afflixit, quæque ſenibus ſolet eſſe incommoda maxime, magna eum pituitæ oppreſſum vis ſuſtulit. Societatem Ieſu, præcipua quadam caritate, complexus eſt; ſicut & vivus multis ipſe rebus oſtendit, & in morte ſua, teſtamento, declaravit. nam domum profeſſam Societatis ejuſdem, quæ Romæ eſt, reliquit heredem ex aſſe.

XXXIX. GERARDVS VOSSIVS.

SI dignus eſt quiſpiam, cui omnes ad Chriſti judicis miſericordiam aditus intercludantur, eo quod vitam, ex virtute majorumque inſtitutis, non exegerit; profecto is ego ſum, cui ad domeſticam diſciplinam acceſſit etiam inſtitutio, atque exemplum, optimi doctiſſimique viri, Gerardi Voſſii; qui ob vicinitatem Xenodochii Teutonicorum, quod erat prope ab meis ædibus, me puerum, quotidie templum ejus nationis frequentantem, patria pene caritate complexus eſt, & à cohortationibus ſuis nunquam deſeruit. Atque, ſi recte memini, id illi cum parentibus meis, quibus maxime erat cordi, conveniebat, ut ſumma daretur opera, quo in officio continerer, perficeretur que, ut, ne primoribus quidem labris, guſtarem genus vitæ liberioris, & extremis ut dicitur, digitis attingerem; quod difficile eſſet ei, qui ſemel paruerit voluptatibus, ab earum ſe imperio in li-

libertatem vindicare, atque animum ad virtutem adjungere. Itaque, cum ea mihi ſemper probitas, integritas, pietas, ſapientia, ante oculos eſſet, cum ejus frequenter præceptis inſtituerer atq; formarer, mea culpa fuit, ſi nihil profecerim, ſi nihil ex ea indole hauſerim. Verum, atq; animus ephebis ætate exiit, ac diligenter in ejus vitam ac mores inſpicerem, cœpi egomet mecum cogitare, quid eſſet cauſæ, cur illi, qui ſemper fuiſſet exemplum probitatis, innocentiæ, virtutumque omnium, qui omnium divinarum humanarumque rerum ſcientia ita præſtaret, ut neminem ſui ævi metueret, cum ita Græce loqueretur, ut ejus oratio Athenas ipſas olere videretur, ita tamen fortuna eſſet uſus adverſa, ut nunquam ex eo ſtatu, in quo à fortuna collocatus eſſet, potuiſſet emergere, ac procedere opibus & honoribus longius; cum tam multi, nullis virtutibus prædiți, nullis doctrinarum præſidiis muniti, nulla innocentiæ fiducia fulti, contra, ſumma turpitudine obliti, ad honores & imperia niterentur. Sed nihil mihi veniebat in mentem, niſi, divino conſilio id fieri, ne aſſueſcerent homines, ob res fluxas atque caducas, quas ſibi viderent cum improbis eſſe communes, virtuti operam dare, eamque divitiarum & honorum pediſſequam facere. quæ virtus, ut ſapienter M. Antonius orator apud Tullium inquit, & ſemper & ſola libera eſt, quæque etiam, ſi corpora capta ſint armis, aut conſtricta vinculis, tamen ſuum jus, atque omnium rerum impunitam libertatem, retinet. Magna ſemper fuit, apud homines doctos, exiſtimatione atque honore; multos S. R. E. Cardinales, literatos viros ac probos, arctiſſima habuit familiaritate conjunctos; ſed Card. Sirleto in primis uſus eſt familiariſſime. fuit etiam ſummis Pont. ac Gregorio XIII præ ceteris, eximie carus, denique bonis omnibus acceptiſſimus; qui, ejus morte, damnum Romanas ac Græcas literas feciſſe, teſtati ſunt. Plura ex Græcis Patribus in Latinum ſermonem convertit, atque inter cetera S. Io. Chryſoſtomi orationem encomiaſticam in principes Apoſtolorum, Petrum & Paulum; quam etiam doctiſſimis commentariis illuſtravit: quos commentarios elegantiſſima, ad Vrbem Romam, apoſtrophe, peroravit atque concluſit.

Memi-

Meminit etiam, in iis, Cardinalis Sirleti, cui divinam rerum lectarum memoriam, & cujuſvis generis antiquorum librorum notitiam, tribuit. Per Voſſium etiam S. Ephræm Syrum, Latine loquentem, legimus.

XL. LÆLIVS GVIDICCIONVS.

MAgnum ingenium, quo natura, rerum omnium parens, Lælium Guidiccionum, patricium Lucenſem, donavit, non ille incultum deſertumque reliquit, ſed, ſtatim ab ineunte ætate, optimarum artium ſtudiis, omnique liberali, & digna homine nobili, doctrina, excoluit. Sed, cum virtutis & ingenii vis tanta, in Reip. multis maximiſq; provinciis adminiſtrandis, florere deberet, quemadmodum olim duo illa, non Lucæ ſolum, ſed orbis etiam terræ lumina, Bartholomæus & Ioannes, fecerant; caruit omnino muneribus publicis, ſive temporum injuria, ſive aulæ vitio; quæ ſæpenumero, in mandandis honoribus, bonis prætermiſſis, eorum præmia indignis defert; ſive animi illius judicio, ut, remotus à ſtudiis ambitionis, otium & tranquillitatem vitæ ſequeretur. Quæ res eo admirabilior videri debet, quod ea indoles ac materies, in ipſo ætatis flore, in eam domum incideret, è qua fere nunquam Paulus v, in eligendis ſummis magiſtratibus, exibat, tanquam ſi, quidquid eſſet, in toto orbe terrarum, gravitatis, ſapientiæ, ac vitæ ſplendoris, in ea domo contineretur: incidit, inquam, in aulam Scipionis Card. Burgheſii; ex qua, cum nihil Lælius reportaſſet, tanta tamen fuit in homine gravitas, tanta animi conſtantia, tanta virtus, quæ nullam ſibi propriæ utilitatis rationem, ſed ſolum honeſtum, propoſitum eſſe oſtenderet, ut, cum, Pauli v morte, omnes Cardinalem amici, omnes noti, omnes fere familiares, ut fit, deſeruiſſent, ſolus ille unicum amoris, obſervantiæ, ac pietatis exemplum, in fide permanſerit, neque ulla vi alia, niſi Cardinalis ejuſdem morte, ſe paſſus ſit, ab eo divelli. Erat ingenio admirabili, eloquentia ſumma, & in perſequendis, tum ſuo tum alieno nomine, officiis, accuratiſſimus diligentiſſimuſque. Verum cum anno CIↃIↃCXXX, magnus Etruriæ Dux, una cum

Io.

Io. Carolo fratre, Romam, pietatis ac religionis ergo veniſſet, ac magnificentiſſimam eam villam, quam Cardinalis extra portam Salariam extruxerat, inviſurus eſſet, miſſus eſt illuc Lælius, ut Principes illos, plena eloquentiæ atque obſervantiæ oratione, exciperet, eiſque ſigna ac tabulas pictas, quibus ea villa referta eſt, & artificum nomina, demonſtraret. ſed vir, ita ingenioſus, ita eloquens, ad ſolum Principum illorum aſpectum, obſtupuit, obmutuit, nec verbum ullum, ineptum ſaltem, proloqui potuit; ac, niſi magnus Dux, qui eum exanimatum videbat, prior loqui occupaſſet, perpetuo, in eo ſtupore & taciturnitate, hæſiſſet. Sed vix id illi mors vinculum, unde nunquam eximi voluerat, rupit, cum nova conjunctio novuſque nexus exoritur. nam arta eum ſibi familiaritate copulavit atque conſtrinxit Antonius Cardinalis Barberinus, Vrbani VIII fratris filius; qui eum poſtea inſigni ſacerdotio, quod Canonicatum vocant, in Ædе Deiparæ Virginis majori, aliiſque officiis beneficiiſque, decoravit. Neque ſe domo & familiaritate illa indignum præſtitit: neque Cardinalis, in eo exornando, ſe operam perdidiſſe cognovit; nam magnum illud Lælii volumen, quod eruditorum manibus teritur, Rhythmorum, aliorumque operum, tum ſoluta oratione tum verſibus, multorum ab eo annorum labore & induſtria elaboratum atque perfectum, ſuo inſcriptum nomini, in lucem emiſſum, aſpexit. quod ſuum nomen, libro illi commendatum ac traditum, minus quam ſi in aliquo ære vel marmore inſculptum eſſet, imbrium vim, tempeſtatum impetus, temporis injuriam, pertimeſcet, neque alio caſu, niſi communi orbis terræ ruina, in interitum ruet. Sed, cum Philoſophiæ, Theologiæ, omnique elegantium literarum ſtudio, deditus fuit, tum majore à natura ſtudio eſt ad poëticæ facultatis gloriam abſtractus; ad quam, mira etiam adjumenta, ab eadem natura, à qua impellebatur, obtinuit. Fuit poëta, elatus, ſublimis, gravis; quique admirabilem etiam ſuavitatem haberet adjunctam. quæ duo, pene inter ſe diverſa, ita in eo copulabantur, ut neque gravitas ſuavitate minueretur, neque ſuavitas, orationis ſublimitate, excluderetur. Omnibus Latinis

poë-

poëtis longe Virgilium anteponebat, ſummis in cœlum laudibus efferebat, & à calumniis hominum vindicabat. cujus etiam Æneidos ſex libros in Etruſcum ſermonem convertit, nec convertit ut interpres, ſed ut poëta, ſententiis iiſdem, & earum formis, tanquam figuris. Poëſin etiam Latinam attigit; nec in ea ſe ipſo inventus eſt minor. nam ſcripſit elegantiſſime, ut apparet ex iis, quæ ab eodem ſcripta circumferuntur. Sed mihi videtur, in epigrammatibus, lepide, breviter, arguteque concludendis, multis, qui in hoc genere carminis elaborarunt, præſtitiſſe. Legi ego, in Theatro Eleonoræ Baronæ, cantricis eximiæ, in quo omnes hic Romæ, quotquot ingenio & poëticæ facultatis laude præſtant, carminibus, tum Etruſce tum Latine ſcriptis, ſingulari ac prope divino mulieris illius canendi artificio tanquam fauſtos quoſdam clamores & plauſus edunt; legi, inquam, unum Lælii epigramma, ita purum, ita elegans, ita argutum, ita venuſtum, prope ut dixerim, nihil me vidiſſe, in eo genere, elegantius neque politius. Incredibili tabularum ſtudio & cupiditate flagrabat; adeo ut, in illis comparandis, nulli neque labori neque ſumtui parceret; ex iiſque inſignem domi ſuæ Pinacothecam inſtruxerat, in quam, ſumma ambitione, omnes, ſive cives ſive hoſpites, introducebat; ipſe erat uniuſcujuſq; demonſtrator, ipſe laudator, ipſe, memoria, omnium eorum artificum nomina repetens, quorum eas manu depictas ajebat, atque, has Michaëli Angelo Bonarotæ, has Raphaeli Sancio Vrbinati, has Perino Vago, aliiſque, qui longe omnibus, pingendi arte, præſtiterunt, tribuebat. In quo, ut inſignem quendam pictorem dicere audivi, qui ſæpius eas attente conſideraverat, mire ſe decipiebat, vel ab aliis, qui eas illi cariſſime divenditas obtruſerant, deceptus, errabat. quo in errore, uſque ad extremum vitæ, permanſit. nam unam quandam ex eis tabulam, quam Raphaëlis eſſe ajebat, Baſilicæ Vaticanæ legavit, quæ, ad ſepulcrum Vrbani VIII, Pont. max. affixa, conſpiceretur: quam cum locus non admitteret, Canonici in ſacrario, aurata incluſam theca, collocarunt. Omnem propemodum aurium uſum amiſerat, quod pituita, à capite defluens, omnes pene obſtructos ad eas aditus habebat.

bebat. Celeri, ac repentina prope, morte deperiit, ob magnam vim ſanguinis, quam pridie, vel biduum ante, ſibi mittendam curaverat. Plures B.V. Ædes, heredes teſtamento reliquit.

XLI. BALDVINVS DE MONTE.

IN hoc, naturam inter & fortunam, ut uſitato hominum more loquar, certamen fuiſſe videtur; illa ut, quibuſcunque eum poſſet bonis, ornaret; hæc ut ludos eum faceret, vel tanquam pilam potius haberet, ac miſeris modis, quamcumque vellet in partem, impelleret. Ac primum, ad naturæ dona quod attinet; natus eſt Vrbeveteri, ſummo genere, ex Simoncella nimirum familia, in primis honeſta & clara; nam in eam, De Monte, adoptione pervenerat. forma fuit egregia, ut omnes inter ſe corporis partes, cum quodam lepore, conſentirent. ingenium habuit, ad omnes res aptum; tum ad pacis, tum ad belli artes mirifice factus. Etenim à Ferdinando, magno Etruriæ Duce, ut ille apud Homerum Phœnix à Peleo patre Achilli juveni, datus eſt Franciſco filio, qui Cardinalis futurus fuerat, & bene faciendi & recte dicendi magiſter: ac multos poſt annos, à Ludovico Cardinali, fratris Zagarolæ Ducis, lateri cuſtos eſt additus, ut ejus adoleſcentiam, optimis moribus ac diſciplinis inſtrueret. Verum, ob ſingularem dicendi ſuavitatem & copiam, qua præſtabat, ab eodem Ferdinando, magno Duce Etruriæ, tanquam adminiculum quoddam, datus eſt Marchioni Maximiliano Conzagæ, quem, ad Mathiam Cæſarem, oratorem mittebat, ea conditione, ut, ſi ille, quod mandatum fuerat, minus exequi potuiſſet, ipſe continuo, ejus vicarius, muneri ſuccederet, atque omnia oratoris officia perſequeretur. aliiſque *deinceps* temporibus, ab illis magnis Ducibus, ob egregiam excellentemque, omnium politiſſimarum elegantiſſimarumque artium ſcientiam, honorifice eſt in ipſorum aula habitus. Quorum Principum beneficentia, vacui ac liberi temporis multum adeptus, plura, tum ſoluta oratione, tum verſibus, elegantiſſime dulciſſimeque ſcripta,

ad communem attulit fructum, atque, ad immortalem ſui nominis famam, in aſpectum lucemq; omnibus protulit. in quibus liber ille numeratur, in quo optimi præſtantiſſimique Antiſtitis forma & character exprimitur. Adamatus eſt etiam plurimum à Carolo, Mantuæ ac Montisferrati Duce, ob eaſdem corporis animique dotes; & ab eodem ſæpius Romam, cum mandatis, miſſus ad Vrbanum VIII Pont. Max, quicum, ob excellentiam ingenii, ac frequentes de literarum ſtudiis ſermones, etiam tum Cardinali, magnum illi uſum amicitiamque interceſſiſſe, non ignorabat. Neque prætermiſit Vrbanus, veteris conſuetudinis memor, ac ſuaviſſimis illius ſermonibus illectus, eum invitare, ut vellet apud ſe eſſe. Atque utinam induxiſſet animum, Pontificis amiciſſimi invitationibus acquieſcere. non enim, in eam fraudem delapſus eſſet, unde famæ vitæque ſuæ exitium ac peſtem invenit. Formæ autem bono, quo nil fragilius, neque inanius, mulieres plures in ſui amorem attraxit; nec minus ipſe multas amavit: in quarum amore quam multa odioſe, jocoſe, ac juveniliter fecerit, referremus, niſi ad majora ac potiora feſtinaret oratio. Sed nullo modo conſiliũ eſt, præterire facinus quoddam ex amore ab illo inchoatum in ea urbe, ubi tum ætatem degebat, & ab altero, qui ipſi in amore ſucceſſerat, abſolutum atque perfectum. Amare occeperat, contra jus faſque, virginem, Deo ſacram; à qua non ſolum nos manus, verum etiam oculos, abſtinentes habere, jura omnia clamant. ſed erat forma & vultu, adeo eleganti, adeo venuſto, ut lapides etiam poſſet, ut ſe amarent, adigere. erat enim ab unguiculis ad capillum ſummum feſtiviſſima; ac, ſuæ ſibi pulcritudinis conſcia, non eam contemnebat, ſed, artis auxiliis convocatis, augere ſtudebat. nam, paucis illis capillis, qui ex temporibus pendebant, coſmoticis medicamentis, aureum colorem inducebat, calamiſtro cincinnulos addebat, inaures, armillas, auribus brachiiſque geſtabat, torques, ex baccis rotundioribus factos, & ad pectus uſque defluentes, collo commendabat: quæ omnia, virtute formæ eveniebat, ut quam maxime illam decerent: præterea, citharizare & cantare ad chordarum ſonum, doctiſſima, iis, qui non ſatis para-

ti, ad cavendum fuiſſent, omnem virtutis modum deturbabat ex animis. quamquam Balduinus, ut poſtea declaravit eventus, non tam eam libidinis, quam honoris gratia (erat enim nobili genere nata,) amaret & coleret. Nam, cum ejus ad aures perveniſſet, Gregorium XV, qui tum Pontificatum max. gerebat, Cardinalis Ludoviſii fratris filii opera, Romæ, Vaticanam Academiam inſtituiſſe, in qua, præclara totius Italiæ ingenia ſe exercerent, magnam ſibi ingenii oſtendendi, & eruditionis declarandæ, occaſionem eſſe oblatam exiſtimans, amorem ambitioni gloriæque poſthabuit, ac Romam iter adornavit; ſed, diſcedens, amores amico cuidam ſuos commendavit, eidemque mandavit, ut illis, ſi quid ab ipſo opus eſſet, ſuppeditaret, nec ulla in re deeſſet: tum, valere virginem jubens, Hunc tibi amicum meum, inquit, pro me, tantiſper dum abſum, ſubſtitui, qui omnibus in rebus præſto erit; eo igitur, tanquam me, utere; ejus enim operam tibi maxime ex uſu eſſe reperies. At ille primo, amici rem mandatam gerere, nunquam fere, niſi re neceſſaria coactus, ad illam accedere, fines mandati non egredi; tum, paulatim ejus forma impulſus, ejuſque amore, ſupra quam dici poteſt, incenſus, (utpote qui ſibi magis eſſet, quam Balduino, amicus,) ſuum agere negotium cœpit, atque blandiciis, muneribus, & formæ, qua præſtabat, bono, intimum ſe apud eam virginem fecit, & cauſatus voculæ ſuavitatem, & mirificam canendi illius artem; ab ejuſdem adſpectu colloquioque, quo ſuos illi amores, lacrimans, titubanti animo & pectore, eloquebatur, pedem nuſquam referebat. ſed admonitus, atque etiam prohibitus, ne illuc accederet, adeo admonitionibus & objurgationibus illis non eſt deterritus, neque cohibitus, ut, majori amoris impetu percitus, inſidiis, auroq;, cui non poteſt obſiſti, clauſtra illa pudoris pudicitiæque perfregerit, & ad intimum virginis cubile pervenerit. Quæ virgo, quia non nollet facere cum eo mutuum, à quo tantopere ſe diligi & amari ſentiebat, quaſi alterum Leandrum, infeſto periculoſoque jactatum mari, ſuum in complexum, tanquam in portum, iis manibus excepit, in quibus natura, quid efficere poſſet, videbatur experta: omnes

omnes enim in eas numeros pulcritudinis elegantiæque contulerat. Sed novus hic Leander, inventus est superiore aliquanto felicior. nam ille, inanis ac siccus, tumentibus est maris fluctibus obrutus; hic autem, expletus saturatusq; deliciis, adversæ fortunæ faucibus absorptus, suam secum Heron eandem in perniciem attraxit. etenim virginis alterius, quæ cum illa de forma certabat, indicio, manifesto in flagitio deprehensi, ille altissimam in turrim compactus, hæc angustis unius domus anguli finibus concluſa, audaciæ temeritatisque pœnas dederunt; nec diutius, post id facinus admissum, vixerunt, sed brevi, tenebris & loci squalore, uterque in morbum implicitus, decessit. Sed redeo ad Balduinum, à quo paululum me turpe amici sui factum abduxerat; cui, ad cetera bona, à natura tributa, militaris etiam animus, & periculis omnibus superior, accesserat. Quod magnus Etruriæ Dux animadvertens, in rostratam eum navim, quam Prosperam vocabat, imposuit, ut bellum cum piratis gereret. & Carolus, Dux Mantuæ, majoribus eum navigiis præfecerat, quæ contra hostem paraverat; quod in homine virtutem, & industriam magnam, videbat. Iam vero quod secundo loco proposuimus, quantum in eo augendo ornandoque natura laboraverat, tantundem in eodem deprimendo spoliandoque, suas fere omnes fortuna vires exercuit. Primum, perpetuo fuit pauper; quamquam ipse non minimam in partem ejus culpæ venerat, quod homo voluptati obsequens fuerat, &, qui sic sunt, rei familiari haud parcunt, sed eam profundunt. Tum, cum ea navis, quæ Prospera nomine, sed quæ multas in ipsum calamitates invexerat, in hostium potestatem devenisset, ab inhumanissimis illis prædonibus, multo quam alii, qui eodem calamitatis jure comprehensi sunt, acerbius & immitius est habitus. nam, & ad remum, hoc est, ad Acheruntem, damnatus, quod nullus locus æque sit Acheruns, atq; triremis, & nauticum in cœnam & in prandium panem, qui duritia lapidẽ silicem vinceret, accipiebat: ad hæc, quingenis singulos dies, pro jentaculo, & totidem pro merenda, plagis afficiebatur. atque, ad panis duritiem, quo vescebatur, probandam, tanquam testes, duo in ore loca, dentibus va-

cua adhibebat, quos, in eo pane rodendo, reliquerat: tum ad demonſtrandum, quo verberum ſævitia proceſſiſſet, proferebat, modo ventrem & ſcapulas, vibicibus varias, modo aperiebat latera, funibus peruſta; modo objiciebat crura, compedum ſignis impreſſa. Quo tandem ex Orco reducem eum fecit magni Ducis Etruriæ miſericordia atque benignitas: qui princeps vir, perſoluto pretio, expedivit illum è ſervitute, ac, liberum rurſus, domo ſua excepit. Sed iterum fortuna, acrius quam antea deſæviens, vim in eum ſuam exercuit. nam, non ſolum vitam, verum etiam famam & exiſtimationem eſt conata eripere. Cum enim, domi ſuæ, cædes facta eſſet, ac notus cauſidicus, Gregorio XV, tum Pontifici, amicus, interfectus, idque formoſiſſimi adoleſcentis, & alterius ſicarii, opera perfectum, quibus fuerat argentum ob id repenſum; inſimulatus eſt etiam ejuſdem facinoris ille; tum, quia dicebatur, in partem argenti veniſſe; tum etiam, quia conſtabat, eum iis, qui interfecti corpus in cloacam quandam Vrbis detulerant, cereum illuxiſſe. Quamobrem, conjectus in vincula, nemini dubium eſt, quin pœnas, una cum aliis duobus, dediſſet, niſi, Scipionis Cobellutii Cardinalis S. Suſannæ, qui tum plurimum poterat, auctoritas, ex ſuſpicionis illius flamma ereptum, incolumem præſtitiſſet; quod indignum putaret, tantam vim ingenii, turpi judicio labefactari, & funeſta carnificis manu deleri. At, quanto rectius æternæ illius ſaluti conſultum ab eo fuiſſet, ſi rem legibus judicari paſſus eſſet! non enim ille, omnibus rebus imparatus, (ut tum ſibi accidit, cum ferro erepta vita eſt,) ſed Chriſtianis ſacris munitus, quamvis turpi morte affectus, ſupremo judici Deo, in quo ſunt omnia, ſalvus & incolumis extitiſſet. Cum igitur illud vitæ fortunarumque omnium naufragium, quod adverſa illi fortuna molita fuerat, effugiſſet; in domum Ludoviſii Principis, etiam tum pueri, ſecunda Cobellutii vectus eſt aura, ut eum, non ſolum morum, verum etiam animi ac virtutis magiſter, ad omnes præclaras ac dignas homine nobili diſciplinas percipiendas, impelleret, inſtrueret, cogeret. At, nec ibi quoque à fortunæ, quæ ad ejus perniciem excubabat, inſidiis fuit immunis. nam

Bono-

Bononiæ, cum, nocte quadam, domo Principis egredi cuperet, ac janitor fores, quæ ſuæ cuſtodiæ ac fidei erant commiſſæ, recuſaret aperire, res primum ad verborum contentionem, tum ad pugnos venit; in quo certamine janitor, ad pulſandum verberandumque robuſtior, pluſquam quingentos illi colaphos infregit, ac totum os contudit. ſed, ita male pugnis acceptus, non dubitavit, poſtridie mane, in procœtonem venire, ac liventes pugnis oculos, ac colaphis tuber totum caput, afferre. Sed, quiſnam, niſi ſit ſapiens, fortunæ, quam iratam habeat, vim poſſit effugere? Sapientem eum appello, qui totam ſpem ſui in ſe poſitam habeat, qui nihil à rebus externis, nihil ex errore imperitæ multitudinis, pendeat. A cujus dignitate cum longe Balduinus abeſſet, quid mirum, ſi illa, quæ, à multis & imperitis, rerum mortalium domina ac regina appellatur, ſuam in eum vim & poteſtatem exercuerit, ac rationem invenerit, qua eum, ut antea conata fuerat, vita famaque devolveret? Ratio autem fuit ejuſmodi. Germanorum copiæ, Cæſaris nomine, in Italiam tranſierant, ac Mantuam oppugnaverant. cumque Dux ſibi non deeſſet, ſed omnia, ad bellum neceſſaria, paraſſet, imperaverat Balduino, quem ab eo ratibus præpoſitum fuiſſe, antea narravimus, ut, certo quodam in loco Padi fluminis, aggeres perfringeret, atque latum aquis, ad exeundum, aditum aperiret: ita enim fore, vel, ut hoſtes de ſpe oppidi potiundi deciderent, vel, ſi pericula præliorum audacius inire ac perſequi vellent, ab aquis circumventi atque intercepti perirent. qui, cum imperata facere neglexiſſet, ac propterea Mantua in poteſtatem hoſtium veniſſet, aſpergebatur infamia, quod, corruptus ab illis, malitioſe Ducis imperia exequi noluiſſet. quamobrem, cum, bello confecto, & rebus cum Cæſare compoſitis, Dux Mantuam recuperaſſet, ille, ſive facinoris conſcientia deterritus, ſive dubios judiciorum exitus pertimeſcens, ſi, hoc crimine, ab adverſariis in contentionem compelleretur, Venetias demigravit. ſed tandem, Vrbis deſiderio captus incenſuſque, quod ab Vrbano Pontifice, à quo fuerat invitatus, multa ſperaret, in viam ſe dedit. ſed, per Mantuanæ ditionis fines iter faciens, à Mantuanis militibus

tibus, qui erant in insidiis collocati, interceptus, sive veri sive falso conficti criminis, pœnas dedit. nam ad ejus ratis, in qua vectus fuerat, spondam appulsus, jussus est collum præbere. quo facto, caput illi præcisum est, & Mantuam missum. At fortuna victrix, & calamitosi hominis infortunio læta, Io triumphe, canens, ad subvertendos alios, æque sibi invisos, excessit.

XLII. ARCHITA EPISTAMENVS.

QVonam fato fieri dicam, ut tam iniquo jure, literarum studia sint, nescio: quæ cum, ob insignem illorum præstantiam excellentiamque, cariora ac gratiosiora, quam cetera omnia, esse deberent, ita tamen eorum æstimatio, fere apud omnes, concidit, ut vix precium inveniant. Quod si quis fortasse summus in aliqua maximarum rerum scientia, à viro quopiam principe, ambitionis aut popularis auræ causa, tecto excipiatur, non ille honestius aut nitidius in victu habetur interdum, quam mediastinus quivis, vel qui latrinam illi ac matulam lavat. cum contra eunuchis, quos, cincinnatos ac meritricularum in morem comtos, ad excitandum voculæ suavitate, lascivissimisque cantiunculis, dormientem languentemque libidinem, habet, vel conviviorum magistris, aliisque novarum gutturis ac ventris voluptatum architectis, nummos modio metiatur, ac Liberi florem, & unctiuscula obsonia, quotidie in prandium ac cœnam affatim præbeat. Atque esset optandum, ut doctrinis expoliti homines, eodem apud istos, quos vulgus beatos appellat, honoris atque existimationis loco ac numero essent, quo ii, qui equos ipsis alunt, ac strigilibus stringunt ac poliunt. nam isti sæpius à dominis accersuntur, in colloquium evocantur, rogantur, num in stabulo salvæ res sint, ut valeant equi, quos ingentibus mercati sunt preciis, ut pingues, ut nitidi sint. at miseri illi, tanquam si eos, qui devorat omnia, Orcus exsorbuerit, evulsi ab illorum memoria, jacent, nunquam ad colloquium, nunquam ad rem aliquam, nisi necessitas cogat, admittuntur. Verum, id fortasse, (quod nemo tamen vir cordatus ac prudens dederit,)

sed

ſed id, inquam, ferendum videretur, in literatis illis, quos mendicitas premit, quod magnas omnibus diis eos æquum eſſet gratias habere, ſi ſuppetat, unde, parce ſaltem ac duriter, vitam poſſint exigere, neque cogantur, in triviis ac plateis, inopia atque egeſtate enecti, animam exhalare. ſed id etiam magni Principes conari nonnunquam audent in iis, quibus nihil deeſt, immo, quibus eſt domi, unde in omnium rerum abundantia vivant, quos, ut ſe, apud imperitam hominum multitudinem, literarum cupidos probent, atque ut, ex excellentium hominum doctrina, ſibi famam, ac domui ſuæ ſplendorem, arceſſant, magna ſpe, magniſque ad ſe pollicitationibus advocant, ac venire compellunt; ſed, cum venerint, nihilo eos honeſtius ac liberalius tractant, quam ſi obſcuro orti loco, vel potius ſi mendicabula hominum eſſent. ut olim in Archita quodam Epiſtameno uſu venit, quem, locupletem, ac domi ſuæ nobilem, ſummus vir, princeps, ac rerum tum dominus, cum fama & auditione accepiſſet, in omnium liberalium artium ſtudiis, longo intervallo, iis omnibus, qui literis operam darent, anteire; magna eſt ejus apud ſe habendi cupiditate incenſus, eoque ardentius, quod audierat, nullam eſſe linguam, neque Græcam, neque Hebraicam, neque Chaldæam, neque Ægyptiam, neque Indam, quam non ita ſciret, ut ſi in ea natus eſſet; multis enim in rebus, ſibi ornamento atque uſui eum fore ſperabat; neque antea quievit, quam magnis ad ſe pollicitationibus attraxit. verum, cum id, quod voluit, aſſecutus eſt, fecit ille ingenium ſuum, nec fere majorem homini honorem habuit, quam ſi infimæ ſortis famulus fuiſſet: nam viro doctiſſimo, cœnophorum vini, bini vel terni ſingulis diebus panes, & totidem Iulii, cum ſpira, quam ex jure vel vino voraret, patriæ ac laris familiaris relicti, tum longi itineris ſuſcepti, merces ac precium erant. Itaque, tot tamque ingentes pollicitationes in nihilum recidiſſe, ac data ſibi verba eſſe, intelligens, ſtatuit, inſigni aliqua ſignificatione, ſui virum illum principem erroris commonefacere, ſimulque docere, affatim ſibi domi eſſe, quod ederet ac biberet, neque ſui ſimiles alienum cibum, tanquam mures, rodere. Itaque, tribus il-

lis menſibus, quibus cum illo fuit, ſtatim ab initio cœpit cœnophora illa, quo ordine accipiebat, in cubiculo quodam diſponere; & unicuique cœnophoro ſuos denarios paneſque diurnos, & ſpiram, addebat, quæ collo illius inſerta, tanquam crepundia, vel torques, ab eo penderet. Sed, cum jam plenum eſſet cubiculum, adeo ut nullus alteri cœnophoro ſuppeteret locus; relictis ibi literis vehementibus, ad Principem datis, in quibus, ſe ab eo fuiſſe contemtum ac deceptum, querebatur, ac propterea, quæ ſibi, quaſi mendico, ac fame enecto, dediſſet, ſe reſignare ac relinquere omnia ajebat; confeſtim ſe ab Vrbe ſubduxit, ac regiones alias eſt perſecutus. Quod ubi factum eſt palam, ac Princeps epiſtolam legit, uſque eo eſt commotus, ut, ſine ulla dubitatione, inſanire omnibus ac furere videretur; ac lictoribus negotium dedit, ut hominem perſequerentur, &, ex fuga retractum, in vincula raperent. At ille, jam è conſpectu evolaverat, & Principis alterius regiones ingreſſus, omnem iis, qui ipſum perſequebantur, ſui aſſequendi facultatem eripuerat.

XLIII. VINCENTIVS PILOTA.

REcte ſapienterque, contra Stoicos, à Peripateticorum ſchola defenditur, non inutiliter à natura datum eſſe homini ardorem quendam animi, & alacritatem, qua, ad res arduas ac difficiles fortiter ſuſcipiendas perſequendaſque, impellatur. nihil enim, quod ſit admodum laudabile, fieri poſſe videtur ab eo, qui ad id lente, ac pacato mari ſimilis, aggrediatur. ideoque non fruſtra antiquitus inſtitutum eſt, in bello, ut, antea quam acies dimicarent, undique ſigna concurrerent, clamoremque univerſi tollerent; quod, his rebus inflammari animos ad pugnam incitarique, exiſtimarent. Sed non minus docte ſapienterque dictum eſt, hanc incitationem animi, naturaliter innatam omnibus, rationis imperio regendam eſſe, neque committendum, ut, quaincunque illa velit in partem, nos abſtrahat atque compellat; curandumque, ut virtutum ſit cos, non temeritatis irritamentum. denique, ut in omni re, ſic etiam

ſam in iſta, ſemper videndum eſt, quatenus egregie, atque ut Philoſophus & magiſter, ex veteris ſapientis dicto, Terentianus Soſia, *Id arbitror*, inquit, *apprime in vita eſſe utile, ut ne quid nimis.* Quem ſi Vincentius Pilota, Beneventanus, magiſtrum habere, ac bene præcipientem audire voluiſſet, ſedatis animi motibus, quaſi leni placidoque mari, ſecunda potentiorum hominum gratia, tanquam aura, vectus, ad opes & honores vela dediſſet: ſed quoniam maluit, infeſto ſcopuloſoque perturbationum ſuarum, ſtomachi, iracundiæque præſertim, qua efferveſcebat, pelago ſeſe committere, eoque tenui fractoque ſui judicii navigio deferri; quid mirum, ſi in Syrtes ſcopuloſque devenerit, ad eoſque navem afflixerit? Erat, in Vincentio Pilota, mira quædam, amicis, iiſque qui in ejus opem auxiliumque confugiſſent, commodandi, eorumque utilitatibus ſerviendi, propenſio; inerat incredibilis, veritatis conſervandæ, mendaciiſque evertendis, ardor, ac ſtudium: ſed utrumque ita immoderate intemperanterque faciebat, ut propterea in multorum odia & offenſiones incurreret; neque verebatur, cum iis, omni verborum contentione, de rebus etiam levibus, certare, quorum obedire tempori, vel honori ſervire, erat illi maxime utile. Diligebat eum Paulus v; cujus ille fidei & taciturnitati eas notas commiſerat, quibus arcana ſua in literis, quas ad Legatos Nunciosque ſuos mittebat, enunciabat, ne, ſi literæ interciperentur, ſua etiam ab iis conſilia ſurriperentur, quibus, ea ſcire, uſui eſſet: diligebatur etiam à Scipione Card. Burgheſio, Pauli ejuſdem ſororis filio. ſed tandem, animi ſui impotentia, infeſtos ſibi eos reddidit. Suſceperat etiam ſimultates cum Margottio Card. Lanfranco, ſummi Pont. à ſecretis. Quamobrem fuit coactus aula excedere, pingui ſacerdotio, Beneficiato nomine, quod in Baſilica Vaticana obtinuerat, ſe abdicare, Roma diſcedere, ac Beneventum ſe recipere; ubi vita functus exceſſit è vita. Fuit ingenio eleganti, nec vulgari eruditione atque doctrina. utebatur ſummis viris, ac doctis, quibus tradebat ſe, cum multa converſatione. In iis uſus eſt plurimum Roberto Card. Vbaldino, quicum multas ſæpe horas traducebat. quorum

rum congreſſus neque erant taciti, nec ludicri ſermones, nec rerum colloquia leviorum, ſed de rebus, aut ad Philoſophiam, aut ad humaniores literas, quibus ille deditus erat, pertinentibus. Plura ſcripſit carmina, non ſine cultu ac nitore, quæ, magna cum voluptate, ab Hugone Vbaldino V. C. mihi tradita, legi: qui Vbaldinus, pro amicitia, quæ cum illo maxima intercedebat, imprimenda & edenda curabit. In poëtis ſui ævi optimis numerabatur. legitur ejus carmen ad Io. Baptiſtam Marinum miſſum, & Marini ad ipſum reſponſio. In ſcribendis carminibus, cum ceterorum, ſui æqualium, poëtarum, tum maxime Marcelli Macedonii conſilio uti conſueverat.

XLIV. IO. HONORIVS AXELIVS.

MAgna profecto memoriæ vis eſt, quæ, omnia, quæcunque in animo conſtructa atque recondita habemus, tanquam theſaurum, tuetur atque cuſtodit. ideo magna illi habenda eſt gratia, ac maxima diligentia retinenda, ne unquam nos fugiat. nam, ſi rerum, à nobis perceptarum inventarumque, cuſtodiam deſerat, omnia continuo, quantumvis maxima, una cum illa profectionem fugamque adornabunt. In hac facultate admirabilis extitiſſe traditur, ille totius Græciæ facile princeps, Themiſtocles; cujus ex animo, quod ſemel in ipſum eſſet infuſum, omnes deinceps ad egrediendum aditus intercluſos obſtructoſque reperiebat; adeo, ut artem memoriæ, quæ tum proferebatur, repudiaverit atque neglexerit, ac gratius ſibi eum eſſe facturum dixerit, qui ſe oblivionis potius quam memoriæ artem edocuiſſet; quod ſibi quædam alte in animo infixa hærerent, quæ inde extrahi cuperet. At cum omnibus, qui literis ſtudent, hæc virtus neceſſaria ſit, nullius tamen magis propria eſſe putatur, quam Iuriſconſultorum. ac vere; nam, cum domus Iuriſconſulti, totius ſit oraculum civitatis, quomodo iis, qui conſilium expetitum veniunt, ſatisfacere poterit, niſi omnia, quæ in ea arte continentur, quæ ſunt propemodum infinita, & intelligentia comprehendat, & memoria retineat? Verum, ſi

ſola

ſola memoria, ſine judicio, optimum Iuriſconſultum poſſet efficere, nemo, mea ſententia, Io. Honorio Axelio anteceſſiſſet. tanta enim rerum omnium copia abundabat, tantum juris tum civilis tum pontificii legum numerum animo comprehenſum habebat, tam multa juris utriuſque interpretum placita, dicta, atque reſponſa collegerat, vix ut ea multorum Iuriſconſultorum memoriæ, quamvis cella vinaria aut penaria, quamvis quovis capaciores horreo, caperent. ſed ea adeo confuſe atque permiſte coacervata atque conſtructa aderant, ut nihil eſſet primum, nihil poſtremum. quamobrem illi, cum de jure conſulebatur, eveniebat idem, quod domino magnæ plenæque ornamentorum omnium domus, ſed in qua nihil ſit ſuo loco poſitum, nihil ordine collocatum, quia rerum, quæ poſſideat, vim naturamque non norit, qui, rogatus de re aliqua, vel unam rem pro altera, vel plura ſimul, quia eadem ſibi videantur, profert. Nam, cum ejus opera conducebatur, ut ſuam de ea re, quæ in controverſiam deducta eſſet, ex ſcripto, ſententiam diceret, omnia illi veniebant in mentem, quorum aliqua mire eorum, qui ad ipſum confugiſſent, cauſam adjuvabant, quædam vero, ac multo maxima ex parte, nihil plane rem, quæ in judicium deducta eſſet, attingerent. Quamobrem fiebat, ut juriſconſultorum non nemo, cui non eſſet tam lauta ſupellex, cum quiſpiam ad ipſum conſulendi cauſa, veniret, daret operam, ut antea Honorium adiret, ab eoque ſcriptum aliquod auferret, unde ille, nullo ſuo labore, magnaque cum laude, quod eſſet ad cauſam accommodatum, exciperet, quæ autem aliena ab ea eſſent, repudiaret, atque rejiceret. Atque tum fuiſſe ab omnibus judicatum memini, ſi Honorio memoriæ ingenioque par judicium contigiſſet, nihil eo futurum fuiſſe perfectius. Verum, dum ita in ea parte animi claudicaret, neque magnum in Iuriſconſultis nomen habuit, neque aliquam publici muneris partem eſt adeptus: ſolum Hoſpitalem ſuæ nationis domum (erat enim Trajectenſis,) Proviſoris nomine, adminiſtravit. in cujus etiam templo tumulatus eſt. Dixit etiam ſemel cauſam, apud Quæſitores fidei, accuſatus, quod ipſi cum hæreticis quibuſdam amicitia eſſet,

eſſet, uſuſque literarum; verum ſtatim, cauſa cognita, eſt abſolutus; ſed non ipſo defendente. nam, ſi ſuæ ipſius cauſæ patrocinium ſuſcepiſſet, ab eo judicio victus, ac notatus infamia, diſceſſiſſet; quod omnes lites, quibus ille aderat, perderet; patrono illi, P. Africani hoſpiti, haud abſimilis, quem Siculo cuidam patronum cauſæ cum daret, Quæſo, inquit ille Prætor, adverſario meo da iſtum patronum, deinde mihi neminem dederis. neque, qui litem alicui intendebat, vel ipſe in judicium vocabatur, impenſius quidquam optabat, quam ut is, quicum omnis ipſi res eſſet, illius patrocinio uteretur; tum enim nihil ſibi patrono opus eſſe, ſed, nemine defendente, ſe cauſam certiſſimam obtenturum eſſe, exiſtimabat. Adeo ut Cardinalis Zolleranus Germanus, litigatori cuidam, cui favebat, die quodam clara voce diceret, Bono animo es, viciſti; nam adverſarii tui cauſa, non alio niſi Honorii advocati præſidio fundatur ac nititur. Senex jam, fieri maritus cupiens, ludificatus à veteratoribus quibuſdam, qui aſſecandi hominis gratia, ſimulaverant, matronam, forma ac divitiis nobilem, ejus eſſe corporis cupidam; idque adeo illi perſuaſerunt, ut nullis popularium amicorumque ſuorum admonitionibus adduci poſſet ut crederet, ſe à nebulonibus illis illudi. ſed tandem, cum probe emunctus ab illis fuiſſet, data ſibi verba eſſe intellexit.

XLV. ANTONIVS MARAFFA.

VIr prudens ac doctus, qui, multos ab hinc annos, vita deceſſit, non peſſime cum iis actum eſſe ajebat, quibus, ſive natura, ſive error, eam mentem injeciſſet, ut ſe in aliqua arte eſſe omnium primos exiſtiment, cum nec digni ſint, qui in poſtremis numerentur; nam iis ſolis bene eſſe; &, quamquam aliis diridiculo ſint, ipſos ſibi plaudere, & ex eo, quod didicerint, cum ad id, quod eſt in eo ſummum atque perfectum, perveniſſe ſe credant, voluptate omnium maxima perfundi. atque idem ille addebat, peſſime de illo hominum genere mereri, qui eum illis errorem conentur eripere; quemadmodum ille, natus Argis, apud Horatium,

Quò

Qui ſe credebat miros audire tragœdos,
In vacuo lætus ſeſſor plauſorque theatro;

cumque jam, cognatorum amicorumque cura ac diligentia, morbum illum expuliſſet, graviter cum illis eſt queſtus, quod ſummam ſibi voluptatem extorſiſſent, & gratiſſimum mentis errorem eripuiſſent. è contrario, maximas naturam ſolicitudines curaſque, quibus perpetuo excrucientur, iis ingenuiſſe dicebat, quorum in mentibus, earum rerum, quarum ſtudio ducuntur, impreſſerit ſpeciem pulcritudinis eximiam quandam, quam intuentes, in eaque defixi, ejus ad ſimilitudinem, orationem vel carmen conentur effingere: nam fieri, ut non ſolum perpetuis, ſed majoribus etiam in dies crucibus torqueantur; quoniam, quo longius in ea, quam colunt, arte, ſtudio atque exercitatione progrediuntur, eo magis intelligunt, quantum abſint à ſummis. Quæ ſi vera eſſent, neque ab eo per jocum dicta fuiſſent, nemo, Antonio Maraffæ, felicitate anteiſſet. Qui, cum vix Grammaticam didiciſſet, ac Philoſophiam & Theologiam ne à limine quidem, ut dicitur, ſalutaſſet, optimum ſe putabat eſſe Philoſophum atque Theologum; cum poëtam nullum legiſſet, ea ſe poëmata facere exiſtimabat, quorum ſimilia nunquam Arioſtus Taſſuſque feciſſent. nam poëma longum, Italico ſermone, conſcripſit, quod Sacræ hebdomadis formam ſeu modum appellat, quo mundi totius procreationem, ſex diebus perfectam, amplectitur; aliaque etiam poëmatia, pene innumera, reliquit, oppido ridicula; quæ ille tum in Academiis, & in eruditorum cœtibus, recitaret, cachinnos omnium commovebat. quod cum, vel invidentia, vel hominum inſcitia, fieri diceret, vehementer iratus, ab ejuſmodi cœtibus abſtinuit, neque ſe deinceps eruditis hominibus, ad coronam, dare ſuſtinuit; ſed, quos faciebat verſus, ſcriptos, amicis legendos tradebat; qui, non poteſt ſatis narrari, quos ludos præberent. Erat inuſitatorum monſtroſorumque verborum inventor, magis quam Siſenna ille, cujus, in libro de claris oratoribus, meminit Cicero: quæ verba, partim à ſe inventa & excogitata efferebat, partim ab Iſtris, Gallis, Hiſpanis, Illyriis, Teutonicis, Sarmatis, atque etiam, ſi diis placet, Indis, paululum

paululum immutata, mutuitabat ; iiſque tum præſertim utebatur , cum verſus rhythmo , hoc eſt , ſyllaba ſimiliter cadenti , eſſet terminandus. quamobrem multorum ad illum concurſus fiebant , ſimulantium , ſe rhythmorum inopia laborare , ac rogantium, ut verbis, ſimiliter cadentibus , quibus egerent, ſibi ſubveniret. quibus ille ea ſuppeditabat , quæ deinde riderent. complura , etiam vocabula , in familiari ſermone , aliter , quam communis ferret uſus , accipiebat ; ut , cum loca fœda , inculta , ac ſordida , loca pathica vocabat, homines autem , nefario illo crimine infames, ſommeticos appellabat. Expetebatur vehementer in amicorum hilariorumque hominum conviviis , ut aliquem ſibi ex eo ludum jocumque compararent : quibus ille , verſutus & callidus , non ſolum, non ſe parabat ut rideretur, ſed eos ultro irridebat : ut , cum olim , in convivio , ſal illi in os quidam inſeruiſſet , dixiſſetque , Accipe ſal ſapientiæ , ille repente ahenum , plenum aquæ , quod ibi erat, arreptum , totum in illum invertit , inquiens , Et ego te baptizo. Ac, ne exiſtimarent homines, ipſi verba dare ſe poſſe , denunciabat illis , ſe quadam eſſe ſcientia præditum, qua in animos omnium penetraret , quæque illi in eo verſarent , agnoſceret ; quam ſcientiam , unico verbo , occultam appellabat ; itaque ſibi occultam eſſe ajebat. Simul ac è Calabria, ubi honeſto natus eſt loco, Romam ſe contulit , dedit operam, ut in Sodalitatem eorum exciperetur , qui , eadem domo eodemque cibo utentes , doctrinæ Chriſtianæ rudimenta pueris tradunt. ac bene cum illo actum eſſet , ſi , uſque ad extremum vitæ ſpiritum , ſe in ea Sodalitate continuiſſet ; non enim habuiſſet neceſſe, in ſumma rerum omnium inopia Romæ, in valetudinario Conſolationis , vitæ finem facere. Sed homo , libertatis in primis cupidus , nullis voluit ſe legibus adſtringere , nullum certum vitæ genus ad arbitrium aliorum ſequi ; ſed, cum illi idem propoſitum eſſet ac Regibus, ut ne cui pareret, neve qua re indigeret, primum non difficulter obtinuit , ut nulli ſerviret ; alterum aſſequi non poterat , ut non egeret. nam ad egeſtatis terminos, ab adverſæ fortunæ tempeſtate, ſive potius à cupiditate otii , ac laboris odio , adactus ; ubi ne ,

fame

fame enectus, conficeretur, cogebatur, in aliorum misericordiam confugere, & ſiccus ad unctos accedere. quam ad rem, multorum illi fuerunt amicitiæ expetendæ; ad quas ſuis ſeſe carminibus inſinuabat, tantumque ab eis auferebat, quantum eſſet, ad vitam parce & in pannis traducendam, ſatis. Sed, ut eo, unde digreſſi ſumus, revertamur; cum ille ex Sodalium eorum, de quibus diximus, numero ſe exemiſſet, literas à Clemente VIII ad omnes Europæ Epiſcopos impetravit, ut, quacunque doctrinæ Chriſtianæ, rudibus & ignaris ejuſdem, tradendæ gratia iter faceret, hoſpitio, viatico, rebuſque omnibus, ad neceſſarium uſum, juvarent. Atque eorum ſumtibus bene viaticatus, Italiam, Galliam, Germaniam, Poloniam peragravit. Illud vero mirum accidit, quod, cum Theologiæ ignarus, multos de rebus divinis ſermones habuiſſet, multa etiam, tum ſoluta oratione, tum verſibus, ſcripſiſſet, nullum illi verbum excidit, quod hæreſin ſaperet. Erat vir probus, religioſus, pius, ac fide optima. habitum, quem ab iis Patribus, quibus nomen dederat, acceperat, nunquam deſeruit; unde P. Antonius ab omnibus appellabatur.

XLVI. AVGVSTINVS PALLAVICINVS.

MVltas adoleſcentiæ vias oſtendi, fallaces ac lubricas, quibus illa inſiſtere, aut ingredi, ſine caſu aliquo aut prolapſione vix poſſit, tum vix paucos inveniri qui directum illud ad virtutem iter teneant, neque in cœnoſas illas, ac veſtigia fallentes, quas diximus, vias, deflectant, utinam falſo jactaretur, nec ingentibus ſceleribus flagitiiſque, in quæ innumera adoleſcentium multitudo ſeſe ingurgitat, id altius, quam neceſſe ſit, veritate niti, conſtaret. Quod autem Auguſtinus Pallavicinus, Ianuæ, nobili loco natus, nunquam peſſimis illis factis ſtuduerit, quorum eſt affinis adoleſcentia, Philoſophiæ habenda eſt gratia, cujus ille quaſi blandimentis delinitus, voluptatum illecebras repudiavit, neque eas immigrare ſuum in animum, ſivit. Vt,

qui Philoſophiam, vitæ magiſtram, expultricemque vitiorum, dixerit, probe, quanta in ea vis inſit, intelle-xiſſe videatur. Auguſtinus igitur, ſimul ac Romam Iauua venit, ea ætate (erat enim admodum adoleſcens) quæ ætas haud difficulter capi jucundiſſimarum rerum varietatibus ſolet, noluit, in tam corrupta civitate, tritas aliorum adoleſcentium perſequi vias; non ſibi fas eſſe duxit, in amore ac voluptatibus, præſertim cum honeſta ac liberali facie eſſet, adoleſcentiam ſuam collocare; ſed ſibi utilius exiſtimavit, illud vitæ quaſi ædificium extollere atque abſolvere, cujus in patria fundamentum ſubſtruxerat, auctore & quaſi architecto P. Marcello Pallavicino, patruo, ex Societate Ieſu; cujus extant ingentia in eam Societatem merita. Quæ ædificatio, ut recte ſuccederet, ac ſibi uſui, aliis exemplo eſſet, tradidit ſe Societatis illius magiſtris, tanquam fabris, ut ab iis exædificaretur, expoliretur & ornaretur. Neque illi materiæ aut operæ parſerunt ſuæ. nam, ita eum brevi philoſophiæ præceptis excultum reddiderunt, ut perfectus Philoſophus evaſerit, neque ipſe magiſtrorum ſedulitati, ſua diligentia ſtudioque, deerat, ut etiam illorum in ſe erudiendo induſtriam, ingenii celeritate, præcurreret. Ejus ingenii fructus eſt nobilis illa, in libros *Phyſicorum* Ariſtotelis, paraphraſis. Patuiſſet illi, ob generis nobilitatem opeſque, quibus præſtabat, ad honores aditus; ſed quo Philoſophiam, quam ſibi, tanquam ſponſam, adjunxerat, arctius amplecteretur, procul à Rep. abeſſe ſtatuerat, ædeſque, Capitolio proximas, amœno ſane loco, conductas habuit. Sed, quos uberiores ejus ab ingenio fructus nos capere oportebat, mors eos, tanquam calamitas aliqua, intercepit. quam illi mortem, neque amœnus neque ſalubris, in ipſo ætatis flore, peperit locus, in quem alieno anni tempore, animi gratia, feceſſerat.

XLVII. FRAN-

XLVII. FRANCISCVS ALCIATVS.

MAgnum, ab Andrea Alciato Mediolanenſi Iuriſconſulto, Alciatæ familiæ ornamentum ac decus effluxit; cujus virtute, toto orbe terrarum, in ſubſelliis, in tribunalibus magiſtratuum, in Gymnaſiis, in ſcholis, in Iuriſconſultorum libris, Alciati nomen celebratur. Hic, princeps ex omnibus, auſus eſt Iuriſprudentiam, multorum ſeculorum barbarie infuſcatam, nitori priſtino reddere. hic eſt adortus, eandem, barbarorum injuria, omni ornatu orationis, tanquam veſte detracta, ſqualore ac pannis obſitam, ex iis ſordibus, in quas conjecta erat, extrahere, & majorum ſuorum regno collocare. hic, omnium elegantiſſimarum artium, tum Græcarum tum Latinarum, excultiſſimus, tantum animi habuit, ut non dubitaverit, vulgarium Iuriſconſultorum turba reclamante, ac contra nitente, ea illi omnia ornamenta, tanquam jure judicioque, repetere, quæ, per ſummam illorum, quorum fidei commiſſa fuerat, injuriam, amiſerat; adeo ut nihil ſit illa hodie excultius, nihil politius, nihil ornatius. Ejus poſtea exemplum ſecuti, Duarenus, Connanus, Budæus, Cujacius, Donellus aliique, conati ſint, operi, quod ipſe inchoaverat, ac fere ad extremum uſque perduxerat, tanquam faſtigium imponere. Ex hoc germine exorti plures poſtea ex eadem familia extiterunt, qui partam ab ipſo gloriam, multis partibus auxerunt. atque, ut de aliis taceam, uno Terentio Alciato, ex Sodalitate Ieſu, mea definietur oratio, qui omnem omnium bonarum artium vim varietatemque cum ſit ſcientia & cognitione complexus, eandem cum orationis elegantia ornatuque ſociavit, plures annos in Gymnaſio Soc. Ieſu, auditores, quorum magnus ad eum numerus confluebat, Theologicis ac Philoſophicis diſputationibus erudivit, nunc, laboribus illis egregie functus, maximarum rerum conſultationibus adhibetur; ubi illa ejus vis ingenii doctrinæ, & eruditionis, quæ in illo ſcholaſtico pulvere & literaria qua-

ſi palæſtra, admirationis ac delectationis plurimum habuit, in ſolem atque aciem, hoc eſt, ad uſum Reip. tranſlata, ita utilis atque adeo ſalutaris invenitur, ut hanc ex Vrbano VIII Pont. max. vocem expreſſerit, nempe, P. Terentium eſſe Cardinalatu digniſſimum. Ab Andrea igitur Franciſcus, de quo inſtituimus dicere, prodiit. hic inſitum generi ingenium ad Iuriſprudentiæ ſtudia conferens, tantam eſt facultatem adeptus, ut dignus ſit habitus, qui cum Andrea, à quo parens ejus omnium bonorum heres fuerat inſtitutus, compararetur, ac, propter excellentem doctrinam, Mediolani, in Collegium Iuriſconſultorum cooptatus fuerit; ad quod nemini adſpirare licet, niſi illi, qui ſit in ea facultate perfectus. Sed ea exuperantia doctrinæ, magnis ſtipendiis, conducta eſt à Papienſi Gymnaſio, ut ibi, quod de ipſo redundaret, in alios ſeſe transfunderet; nimirum, ut jus civile doceret. Quod, quaſi ſolum ac fundamentum ejus amplitudinis fuit, cum id illi docendi munus, conjungendæ cum Carolo Borromæo amicitiæ, qui, mortuus, in Sanctorum numerum relatus eſt, materies extiterit. etenim ille Papiam, una cum aliis, venerat, ut Franciſci ſapientiæ fontibus irrigaretur. At bene ac præclare cum illo actum eſt, ſi, quantum Carolus de illius doctrinæ præceptis arripuit, tantum ille de Caroli ſanctitatis indole hauſerit. Sed Carolus, in referenda magiſtro ſuo gratia, non eſt paſſus deſiderari à ſe officium ſuum. nam Io. Antonio Mediceo, avunculo ſuo, ad Pontificatus max. culmen evecto, evocavit eum Romam, & ampliſſimis muneribus exornavit: ac primum perfecit, ut Datarius conſtitueretur; quo munere, non alterum fere in aula Romana invenias, quod negotii plus exhibeat, quod auctoritatis plus habeat, quod fidei plus exigat: illa enim eſt provincia, quæ diligentiſſime mandatur à ſummis Pont. neque quiſquam eligitur, niſi is, cui illi maximam rerum ſuarum fidem habeant. Dedit operam deinde Carolus, cum provinciam illam, ex animi ſui ſententia, adminiſtraſſet, ut in Collegium Cardinalium cooptaretur. Cooptato autem, quoniam tantæ ingenii vi negocium deeſſe non poterat, multæ aliæ provinciæ ſunt demandatæ, nempe Gymnaſii Romani

mani cura ſolicitudoque, ut illud una cum Cardinalibus, Morono, Cornelio, Sirleto, in clientelam fidemque reciperet. cui etiam M. Antonius Muretus, omni virtutum genere cumulatus orator, tantum tribuendum eſſe ſtatuit, ut, in quadam oratione, quam, in Æde S. Euſtachii, de præſtantia literarum habuit, ipſum & Sirletum, ornamenta ſeculi, firmamenta literarum, domicilia virtutis & eruditionis, appellet. Tum, patrocinium & clientela Regni Hiberniæ, ut dicitur, commiſſa & tradita; tum, univerſæ familiæ Franciſcanæ patrocinium; quæ familia, patronis ſuis, plus fortaſſe negotii exhibere ſolet, quam centum aliæ ſimul. poſtremo, ne longum faciam, Carthuſianorum ordinis tutelam cuſtodiamque recepit. In quibus omnibus provinciis recte adminiſtrandis, morbo interiit, ac tumulatus eſt in Æde, quam Romæ Carthuſiani, in Thermis Diocletiani, Deiparæ Virgini dedicatam habent.

XLVIII. ASCANIUS COLUMNA.

NOn falſo à quibuſdam dicitur, raro naturam filios à ſimilitudine parentum abſtrahere, ſi conſuetudo tamen eos & diſciplina degenerare non ſinat; itaque vix unquam contingere, ut navo, prudenti, induſtrio, proboque parenti, iners atque impurus & improbus filius exiſtat. nam, ut ait Horatius,

& bonis
Eſt in juvencis, eſt in equis patrum
Virtus; nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Quod in Aſcanio Columna, M. Antonii filio, qui Turcas claſſe devicit, deque illis glorioſiſſimum triumphum reportavit, apparet. nam ille, hereditario quaſi jure, naturam admirabilem habuit, non quidem ad bellicas artes, à quibus eum ſuſcepta vitæ ratio avocabat, ſed ad humaniſſima ſtudia, omneſque, dignas homine nobili, vel principe potius viro, diſciplinas. præterea, ab omni lucro abhorrens, ad liberalitatem, omnemque vitæ am-

plitudinem, fuit mire propenſus; adeo ut, ex ſuis vectigalibus large detraheret, quod literatorum hominum, quorum erat ſtudioſus in primis, uſibus adderet. nemo erat Romæ vir doctus, nemo liberalibus ſtudiis paululum deditus, quin eum ad ſe vocaret, in amici loco haberet, denique officiis beneficiiſque omnibus amplecteretur. Admodum puer, forma fuit egregia; in quam Aurelius Vrſus, poëta ſingularis, eleganti carmine, luſit; cujus hæc erat ſententia, quod Venus, ſimilitudine formæ decepta, ſuum eſſe Aſcanium exiſtimans, ivit, ut arctis eum circumplicaret amplexibus, ſed poſtea, errore detecto, *Riſit, &, Aſcanius ſic meus, inquit, erat.* Etiam tum adoleſcentulus, in aula ædium ſuarum, Philoſophicis diſputationibus, doctiſſimos Vrbis Philoſophos, tanquam in aliquod certamen contentionemque, vocavit: quo ex certamine magnam eſt laudem conſecutus, & ad ſtudium illud diſcendi, quo flagrabat, vehementius exarſit. Itaque Salamanticam ſe contulit; ut ibi, apud exquiſitos è toto orbe terrarum magiſtros, uberius copioſiuſque, omnium rerum magnarum atque artium ſcientia pectus impleret. Quibus expletus ſaturatuſque, Regis Philippi II aulam petiit. nec ſe illuc profectum eſſe pœnituit. nam doctrinæ elegantia, ac ſermonis gravitate ſuavitateque, ac recenti parentis ipſius memoria, omnium, qui ante ipſum in Hiſpania fuerant, maximi, animum ad ſe convertit, ac cepit adeo, ut ille à Sixto V in collegium Cardinalium cooptandum ipſum curaverit, tum ad oratorem ſuum ſcripſerit Romam, ut ne quid deinceps cum ſummo Pont. negotii ageret, quod non antea cum Aſcanio Card. Columna communicatum habuiſſet. quamquam poſtea, invidorum calumnia, tantum Regis beneficium fuerit illi ereptum. Atque utinam non etiam, cum doctrina, plura ex Hiſpania, Regni illius procerum mores ſecutus, Romam aſportaſſet, quæ apud nos partim ridicula, partim levia ponuntur; profecto, majori in honore ac laude fuiſſet. Ea autem, quæ, quoniam à noſtris moribus abhorrent, hominum animos offendebant, hæc erant: Abaco menſæ in qua pranderet vel cœnaret, lecto ubi cubaret, ſellæ ubi ſederet,

ret, omnibus denique locis ubi agendum ſibi aliquid eſſet, umbellas, ſerico auroque contectas, impoſitas habere; tum, ab ephebis, quorum magnum apud ſe numerum habebat, prandium quod prandеret, caligas & femoralia quibus indueretur, afferri, ac, poſitis humi genibus, tradi jubere. tum, parentis clariſſimi nomine, ad aliorum contumeliam, abuti videbatur: nam, cum primum Baſilicæ Lateranenſis Archipreſbyter creatus eſt, atque apud Canonicos illos verba faceret, Non, inquit, habebitis Archipreſbyterum, terræ filium neſcio quem, ex Piceno, vel ex Liguria, (nam tum Baſilicæ Vaticanæ Archipreſbyter, Cardin. Picenus, Liberianæ, Ligur ſed nobiliſſimus, erat,) ſed hominem Romanum, nobilitate, ſplendore, divitiis civitatis, omnium clariſſimæ, primum; uno verbo, M. Antonii Columnæ filium. Quamquam deinde, uſu atque experientia edoctus, hæc, de quibus loquimur, partim ſatietate abjecit, partim experiendo contemſit, ac totum ſe ad Romanæ aulæ gravitatem moreſque compoſuit. Sed levia hæc, ac nugatoria, non potuerunt nec debuerunt tot tantarumque illius virtutum luminibus officere: nam ſemper, vir ſummus, doctus, magno ingenio atque animo præditus, habitus eſt. Inſignem domi ſuæ bibliothecam inſtruxit; cui Pompejum Vgonium cuſtodem præfecerat. Vtebatur hominibus doctis eruditiſque: & in primis Franciſco Lælio Vbaldino, Franciſcano ſtrictioris, ut ajunt, obſervantiæ, deditus fuit. Flagrabant apud illum eloquentiæ ſtudia: itaque laudavit Philippum II, Hiſpaniarum Regem, mortuum, ornata oratione, ac plena prudentiæ. Scripſit contra Cardinalem Baronium, qui, in annalibus Eccleſiaſticis, multis rationibus oſtenderat, Reges Hiſpaniarum, furtim ac de inſidiis, in monarchiam Regni Siciliæ invaſiſſe. cui viciſſim Baronius reſpondit. Sed, cum intelligeret, Clementi VIII ſe eſſe minus gratum, adeo ut vix quiſquam ex aulicis, quibus hæc Pont. voluntas nota erat atque perſpecta, auderet ſe illi, amicitiæ vel honoris gratia, comitem addere, invitatus à Rege Hiſpaniarum, ut Regno Tarraconenſi, pro rege, præeſſet, accepit conditionem; illudque, ſumma cum æquitatis laude, per triennium adminiſtravit:

vit: ac deinde reverſus eſt Romam, ubi demum exiit è vita. Erat facie honeſta atque decora: niſi quod ita male oculis utebatur, ut vix, ac ne vix quidem, quæ ante pedes eſſent, aſpiceret. tum Regi Hiſpaniarum incredibili erat amore obſequioque devinctus, adeo ut, morti jam proximus, id illi, officioſiſſimis literis, niſi memini male, ſua manu exaratis, ſignificaverit; in quibus erat ſcriptum, non tam ſibi ægre eſſe, quod intelligeret inſtare ſibi finem hujus lucis, & amiſſionem omnium vitæ commodorum, quam quod Majeſtati ſuæ, tali ſervo ſit carendum, quo nullum unquam, nec magis fidum, nec ardentiori, in ipſa diligenda, amore incenſum, ſit habitura.

XLIX. MAPHÆVS BARBERINVS.

QVi ad Pontificatus maximi faſtigium evehitur, in novum quodammodo hominem tranſire, ac novam quodammodo oris imaginem videtur induere. nam, ubi primum, ſummi illius honoris limen attigit, continuo mutat mores, novas cogitationes, nova conſilia ſuſcipit, novo nomine appellari ſe præcipit. Sixti V eſt hoc, hominis ſapientiſſimi; ad quem, recens Pontificem factum, cum ſummus vir quidam veniſſet, ut tantam illi dignitatem gratularetur, à quo inſignem accepiſſet injuriam, humaniter hominem excipiens, ejuſmodi ad eum orationem habuit: Quam F. Felici Peretto, Card. à Monte alto, injuriam impoſuiſti, ſcito, te impune ablaturum; ſed cave poſthac, ne Sixtum V, in quem, ex fratre Felici, tranſivi, novo ſcelere, vel quemlibet alium, mihi ſubjectum, offendas; etenim intelliges, quid ſit periculi, Sixtum V. Pont. maximum, lædere. Cum igitur Maphæus Barberinus duas imagines referat, unam Maphæi, Vrbani VIII Pontificis alteram, ea relicta, quæ eſt Vrbani, Maphæi ſolius imaginem in Pinacothecam noſtram inferemus. Ortus ille eſt Florentiæ, familia honeſta. Statim ab ineunte ætate, multa ac magna celeris ac peracris ingenii ſigna oſtendit. Quamobrem Ro-

Romam, à parentibus missus, demigravit, ubi quamvis ad extremum usque spiritum vitæ permanserit, incorruptam tamen sermonis, quem cum lacte nutricis hauserat, antiquitatem conservavit; atque ejus vox semper Romanis auribus peregrinum quiddam olere ac resonare visa est. Sed, ubi Romam pervenit, omnibus iis doctrinis, quibus puerilis ætas informari ad humanitatem solet, institutus est in scholis Patrum Soc. Iesu, à duobus illis exquisitis magistris, Tursellino ac Bencio. literas etiam Græcas avide ac diligenter arripuit. sed ad poëticæ facultatis in primis studium à natura ferebatur; ad quod magna etiam, ab eadem, instrumenta acceperat. Ex poëtis, qui tum florebant, Aurelium Vrsum dilexit ex omnibus plurimum, eumque sibi magistrum elegit; adeoque in hac exercitatione studioque sese continuit, ut nullis negotiorum occupationibus, nullis honorum ambitionibus, sit ab eo distractus. Neque mirum, si tantam sit facultatem adeptus, ut non videam, cui ille deberet cedere, una ætate qui esset. sed, in odis præsertim, proxime ad veterum poëtarum laudem videtur accedere. Quid verbis opus est? ita puræ, ita elegantes, ita Latinæ, ita omni lepore omnique rerum ac sententiarum flore conspersæ, Patribus Soc. Iesu, sunt visæ, ut, ipso vivo, in ipsorum scholis, discipulis ad imitandum proponerentur. quod, ex recentioribus poëtis contigit ante ipsum nemini. semper enim veteres, in quibus perfectæ eloquentiæ laus continetur, aptiores sunt habiti, in quibus imitandis adolescentes primum illud ineuntis ætatis studium collocarent. At quanto feciisset rectius, si se in hoc Latine scribendi labore continuisset, neque studium suum ad Etruscas Musas transtulisset? nam, dum conatur, ceteris, in hac etiam lingua, summi poëtæ palmam præripere, inventus est, multis, longo intervallo, inferior. Accessit deinde ad honores adipiscendos, & ad Remp. gerendam, non nudus, atque inermis, nulla cognitione rerum, nulla scientia imbutus, sed omnium bonarum artium ornamentis instructus. atque initium Reip. capessendæ cepit, à supplicibus libellis Pont. max. referendis; in eorum enim ordinem, quibus id munus incumbit, adscitus est. tum, Abbreviatoris,

poſtea, cum divitiis abundaret, Cameræ Apoſtolicæ Clerici, locum ac numerum obtinuit. quo munere cum egregie fungeretur, miſſus eſt à Clemente VIII Nuncius in Galliam; cujus etiam nomine, Regis filium, de ſacro Baptiſmatis fonte, ſuſcepit. Et, quia apud illum Regem, omnium maximum, Sedis Apoſtolicæ rem feliciter geſſerat, à Paulo V Cardinalis renunciatus eſt: qui locus illi, atque honos, ita deberi putabatur, ut nemo contradiceret. Sed non licuit tantæ hominis virtuti eſſe otioſæ, quod virtutis vis omnis in actione conſiſtat; ſed neceſſe erat, ut, qui ad Remp. gerendam à natura factus eſſet, traderet ſe totum Reip. omnemque, ad eam adminiſtrandam tuendamque, curam ac ſolicitudinem conferret. Quod optime Paulus V, acerrimo vir judicio, intelligens, quem Maphæi ſapientia non fugerat, cujuſque, maximis graviſſimiſque in rebus, periculum fecerat, ex Muſarum hortulis, ubi, à negociis publicis feriatus, interdum ſe oblectabat, eductum, in arduam ſane difficilemque provinciam tranſtulit, nimirum Bononiam, ut eam, Legati nomine, adminiſtraret. quibus poſtea partibus cum fide diligentiaque tranſactis, Signaturæ eum juſtitiæ, quam vocant, præfecit. Atque in omnibus his muneribus, quidquid illi vacui temporis à negociis publicis dabatur, totum eruditorum hominum, ſine quibus nullam eſſe vitam duceret, conſuetudini colloquiiſque concedebat; ut minime dubia, planeque explorata ſpes eſſet, ſi unquam ad ſummam amplitudinem perveniſſet, nihil fore literatis hominibus felicius; neminem enim circa ſe habiturum, neminem honoribus amplificaturum, nemini ea munera, quæ debentur induſtriæ, mandaturum, niſi qui ſapientiæ, præ ceteris, gloria excelleret. Quemadmodum jam eam, quam de ipſo commoverat, expectationem expleverit, dicent alii; qui Vrbani VIII Pont. Max. imaginem, diſerta oratione, tanquam coloribus, pictam, expreſſuri ſunt.

L. FRANCISCVS BENCIVS.

ET propoſiti noſtri ratio, & grati erga eos, qui optime de nobis meriti ſunt, animi virtus, & illorum excellens in omni humanitatis genere laus, à nobis exigit, ut egregia, trium præſtantiſſimorum è Societate Ieſu hominum ingenia poſteritati mandemus; quamvis ſuis ipſi ſcriptis aſſecuti ſint, ut immortalem nominis ſui memoriam efficerent. Etenim, ex ipſorum ludo, tanquam ex aliqua eloquentiæ officina, cum ea, quantulacunque in nobis eſt, facultate prodivimus. Atque exordiamur à Franciſco Bencio; qui, ante quam in Societatem Ieſu veniret, Plautus appellabatur, ab Aqua pendente. Hic, admodum adoleſcens, in diſciplina M. Antonii Mureti, qui tum eloquentiæ omniſque elegantis doctrinæ princeps habebatur, educatus, atque Græcis ac Latinis literis inſtitutus eſt. ex quibus, quaſi fundamentis, ea illi eloquentiæ & eruditionis ædificatio extructa eſt, quæ pervenit ad ſummum. Verum ille, id quod raro uſu venire videmus, ſummam eruditionem cum ſumma probitate, non ex certo tempore, ſed ab ineunte ætate, ſuſcepta atque exculta, conjunxit. Atque, ut eloquentiam, ad quam non minima, à natura, adjumenta ſe habere intelligebat, doctrinarum ſtudiis inſtrueret, ſine quibus verborum volubilitas inanis atque irridenda eſt; quaſi ad earum mercatum, ad Gymnaſium Romanum, & ad ſcholas Soc. Ieſu, ſe contulit, ut Iuriſprudentiæ ac Philoſophiæ præceptis inſtitueretur. ſed, in eo mercatu, illud etiam mercimonium eſt nactus, quod, divini numinis inſtinctu compulſus, fuerit coactus, venditis rebus, quæ habuerat, omnibus, emere. Quæ res, quoniam continet aliquid, dignum admiratione, quodque Dei in eos, quos ſibi elegit, providentiam maxime referat, non eſt prætereunda ſilentio. Iam Romæ ſeptennium commoratus fuerat, cum, die quodam, in Æde Deiparæ Virginis Annunciatæ, Collegii Soc. Ieſu, ſacramento Pœnitentiæ, peccatorum ſordes abluere, viſus eſt vocem, in hæc verba, audire, Et tu quoque aliquando, religioſorum iſtorum numerum augebis.

Quam

Quam ille vocem, primo neglexit, nec per aures penetrare in animum ſivit, ſed in ſuis Iuriſprudentiæ ac Philoſophiæ ſtudiis ſeſe continuit; quo, eorum præſidio, ad opes honoreſque aditus ſibi muniret. Quapropter omnes arctioris vitæ cogitationes, utpote conſiliis ſuis inimicas, quantum poteſt, abire jubebat ex animo. Sed fruſtra. nam, quæ inſcitia eſt, adverſus ſtimulum calces? Feriis enim, Chriſto ab inferis reſurgenti ſacris, cum, ex Eccleſiæ præcepto, Chriſti corporis Sacramenta ſumſiſſet, ſenſit, ſe tanta vi impetuque à ſuperioribus illis cogitationibus impelli agitarique, ut, cum ferre non poſſet, eas neceſſe habuerit illi, qui ſibi erat à confeſſionibus, aperire. Inter hæc, quædam res incidit, quæ homini, ad perfectioris vitæ terminos properanti, quædam quaſi calcaria addidit. etenim, multorum eſt ad eum literis perlatum, matrem, quam præcipua amoris ſui parte complectebatur, lethali implicitam morbo, ita periclitari, ut, de medicorum ſententia, pronunciatum eſſet, nullam in ea ſpem ſalutis reliquam eſſe. itaque advolat in patriam, ventis atque avibus ocius. ſed, in itinere, eam comperit diem obiiſſe ſupremum. ex quo nuncio, ita ab intimo quodam animi dolore oppreſſus eſt, ut omnia eum ſolatia deficerent. cumque lacrimarum fluctibus pene obrueretur, à Chriſto, cujus crucifixi imaginem oculis ſubjectam habebat, ſumma vi & ardore animi, opem auxiliumque expetiit. qua in precatione, ſenſit ſibi, priſtinæ vocationis memoriam refricari, animumque, ad propoſitum, Societati Ieſu nomen dandi, renovari revocarique. in qua ſententia eo libentius manſit, quod acceperat, illud unicum matris ſuæ votum fuiſſe, ut in Societatem Ieſu ingrederetur. Ac, ne longum faciam, ſenatu conſiliorum ſuorum in animum convocato, & rationibus diligenter examinatis, quæ ipſum, aut ſententiam mutare, aut in ea permanere, ſuadebant; cum horam integram, in ea deliberatione, conſumſiſſet, Chriſto, vocanti ſe, atque adeo attrahenti, manus dedit. In Societatem Ieſu recepto, nihil fuit antiquius, quam ut Mureto magiſtro, laboris, quem in ipſo erudiendo ſuſceperat, gratiam referret: neque habuit majus precium, quod illi perſolveret, quam ut perſuaderet,

ſuaderet, ut, ſacris initiatus, vitam, eo loco atque ordine dignam, exigeret. In quo fuit felix. nam impetravit, eumque, cohortationibus ſuis, ita mores mutare coëgit, ut eſſet omnibus exemplo, ſanctiſſimeque moreretur. quem etiam mortuum laudavit, luculenta oratione, quæ extat. Quanti autem Muretus Bencium faceret, declarabant honorifici, quos de illius eloquentia, eruditione, ac doctrina, ſermones habebat, ut etiam laudum ſuarum ſummam in eo collocatam haberet, quod, qui ad Bencium audiendum confluerent, ad Mureti auditorem atque alumnum ire, ſe prædicarent: declararunt etiam Ariſtotelis Rhetoricorum libri duo, quos, à ſe in Latinum ſermonem converſos, illius nomini dicatos emiſit: quos etiam libros Bencius, publice, me audiente, ejuſque dicta excipiente, interpretatus eſt. Erat multi laboris multæque induſtriæ; quibus rebus, eximiam dicendi vim, & minime vulgare eruditionis genus, eſt aſſecutus, præterea ſummam apud omnes literatos exiſtimationem ac famam, à quibus conſulebatur, frequenter audiebatur, ac certatim diligebatur. Fuit etiam ſummis viris, multiſque Cardinalibus, apud quos literarum ſtudia vigebant, eximie carus, ab eiſque magno in honore habitus. in quem illud extat Cæſaris Cardinalis Baronii elogium: *Franciſcus Bencius, vir maxime pius, & inſigniter eruditus, qui, & Muſas reddidit Chriſtianas, & graviore concentu canoras.* Neque tamen, ex hoc hominum favore & gratia, ejus unquam elati ſunt animi, aut unquam illi aliquid arrogantiæ acceſſit; ſed humilis ac demiſſus, ea gloria, quamvis virtute parta, minime delectabatur, totamque abjiciebat, atque deponebat. Erat ingenium mite, apertum, ac ſimplex, nullaque ſimulationis arte fucatum. quæ res magnum ſibi omnium amorem & ſtudium conciliabat. Sed, cum plures annos Romæ, in Gymnaſio Soc. Ieſu, Rhetoricam docuiſſet, aliquot etiam Ariſtotelis Moralium libros, magna cum laude, interpretatus eſſet, tandem gravi morbo cœpit urgeri. ex quo, cum fortaſſe præſagiret, ſe non eſſe convaliturum, quemadmodum P. Franciſcum Carrettonium tum mihi dixiſſe memini, volentibus eum adire, hanc legem indixit, ne alios ſermones,

niſi

nisi de rebus spiritualibus ac divinis, inferrent, ceteroqui eorum salutantium officia se nihil morari. Vixit annos duos & quinquaginta: quorum duo & triginta in Societate consumserat, cum, annos natus, non amplius viginti, se in ea Christo mancipasset. Multa scripsit egregie, tum soluta oratione, tum versibus. Quæ autem mandata sunt typis, hæc enumerantur. Annuarum literarum, de rebus Societatis, volumina quatuor. Quinq; Martyres; poëma heroicum. Orationum, & poëmatum, volumina duo. Ergastus & Philotimus, drama, quod magno apparatu datum est in aula Gymnasii Societatis ejusdē, cum, in literario certamine, victores corona ac præmio donarentur.

LI. HORATIVS TVRSELLINVS.

SEquitur vir alter eximius, Horatius Tursellinus, Romanus, in quo, dubitari posse videtur, quid plus laudis habuerit, num humilitatis virtus, an politissimarum literarum elegantia. in utroque enim harum virtutum genere, mirum in modum excelluit. At, si rationum momenta, non solum artificis statera, sed etiam populari, ut dicitur, trutina expendantur, humilitati ejusdem palmam dandam esse reperietur. nam, esse quantumvis disertum, atque etiam eloquentem, quamvis res difficilis inventu sit, tamen naturale quoddam est bonum; at, sentire, se ceteris superiorem esse, neque tamen pati, se animum altius attollere, sed potius illum demissum, atque omnibus subjectum habere, divinitatis cujusdam esse censetur. Neque id obscurum aut latens, sed maxime est perspicuum ac patens. etenim disciplina hæc, se ceteris summittendi, ex divinæ sapientiæ thesauris depromta, Christi Salvatoris nostri verbis, sed magis exemplo, commendatur ac traditur; qui, cum, utpote Deus, natura, imperio, æternitate, par ac similis Patri, hujus virtutis usum atque experientiam habere non posset, quasi mortalibus invidens tantam felicitatem, se mortalem immortalis effecit, in eamque humilitatis altitudinem conjecit, in quam nemo adhuc pervenit. Tursellinus igitur, civis Romanus, nec obscuro inter suos natus loco, cum præstaret ingenio, ac

posset,

poſſet, in ea Sodalitate, in quam ſe adſcribendum curaverat, vel Remp. capeſſere, aſcendens gradibus magiſtratuum, vel, gravioribus diſciplinis operam tribuens, honeſtiorem docendi provinciam obtinere, aut ad majora negotia adhiberi, in literarum humaniorum ſtudiis continere ſe maluit, atque anno CIↃIↃLXII, quo anno, Societatis Ieſu inſtitutum amplexus eſt, quoniam id ad majorem Dei gloriam redundaturum intelligebat, facultati illi ſe totum addixit, cujus in ſinum, à primis temporibus ætatis, ſua eum voluntas ſtudiumque contulerat. Itaque ſuperioribus (licet enim hoc) ſe promtum exhibuit, ut omne curriculum induſtriæ ſuæ, uſque ad extremum vitæ ſpiritum, in erudienda exercendaque, in bonis literis, adoleſcentia ac juventute conficeret. Intelligebat nimirum, quanta vis in prima puerili illa inſtitutione, ad reliquum vitæ curſum ineſſet. Quod ita apte eleganterque faciebat, ut nihil aptius. nam in iis ſcriptionibus, in quibus adoleſcentes exercebat, nihil continebatur, niſi ſacrum, religioſum, ac pium; & ex iis etiam ethnicis auctoribus, quos interpretabatur, plures ſententias eligebat, fuſiuſque explicabat, quæ illis, ad mores componendos, ex uſu eſſent. Sed quid mirum? proximus S. Ignatii Lojolæ, ordinis auctoris, temporibus extitit, cum Socii inter ſe de humilitate, patientia, probitate, deque omni virtute certabant, atque ipſius Ignatii ſanctitas, qui omnia ſolitus eſſet ad majorem Dei gloriam referre, recens in ſuorum memoria hæreret. Narrabat mihi P. Stephanus, cum ille, ad veterum poëtarum obſcœna vel amatoria carmina, præſertim Tibulli, ad Latinæ linguæ notitiam legenda, accedebat, ne quod humani generis hoſtis, ex ea lectione, animæ ſuæ vulnus infligeret, ſolitum eſſe antea, poſitis humi genibus, humili demiſſaque ad Deum oratione ſeſe munire. Docuit Romæ juventutem, annos viginti; quorum poſtremo, ejus ego auditor fui, atque elegantiſſimæ orationi interfui, qua commemorabat, ſe, tanquam emeritis ſtipendiis, docendi labore ſolutum, miſſionem impetraſſe, vel tanquam equum, ſenectute confectum, liberam per agros evagandi poteſtatem obtinuiſſe. Quamquam in hoc errabat: nam,

cum

cum hæc loqueretur, vix quinquageſimum annum attigerat. Non deſiit tamen in Collegio Romano privatim multos erudire, qui poſtea optimi dicendi magiſtri extiterunt. Partem etiam aliquam, in ſua Societate, publici muneris attigit. nam Seminarium Romanum, Collegium Florentinum, & Lauretanum, Rectoris nomine adminiſtravit. Laureti autem, mortifero morbo implicitus, ac jam depoſitus ac deſperatus, Deiparæ Virginis patrocinio, in cujus opem auxiliumque confugerat, (ita enim ejus egregia in Virginem pietas nos credere perſuadet,) amiſſam valetudinem recuperavit; ſed demum anno CIↃIↃCIX, VIII Idus Aprilis, è vita emigravit, ſi ætatem ſpectemus (erat enim annos natus quatuor & quinquaginta,) nondum morti maturus. Multa edidit, in quibus incorrupta Latini ſermonis ſanitas, & Ciceronis elegantia, quem ſibi ad imitandum propoſuerat, tincta, apparet oratio; De vita S. Franciſci Xaverii lib. VI; Epiſtolarum ejuſdem lib. IV; Lauretanæ hiſtoriæ lib. VIII; Literas annuas Soc. Ieſu anni CIↃIↃCIII; De particulis Latinæ orationis; Nomenclatorem vocum Latinarum; Orationem funebrem in morte Gregorii XIII; Epitomen hiſtoriarum à mundo condito, lib. X.

LII. HIERONYMVS BRVNELLVS.

HVic æquum erat, corporis ſtaturam, virtuti parem, contigiſſe. erat enim corpore puſillus, in quo ſæpe ab auditoribus ſuis irridebatur, ſed virtute & erunditione magnus. Hebraicis, Græcis, & Latinis literis, apprime doctus: quas omnes linguas, multos annos, in Gymnaſio Rom. Soc. Ieſu, magna cum laude, docuit. Latine autem, ita ſcienter, ita nitide, eleganterque ſcribebat, ut proxime ad veterum oratorum laudem videretur accedere. Nihil erat, in ejus oratione, niſi purum, niſi ſanum, niſi Latinum; nullum verbum, niſi, tanquam teſſerulæ in emblemate vermiculato, ſuo loco poſitum; nihil confuſum, aut obſcurum, ſed recte diſpoſita, atque perſpicua omnia. Abfuit quidem ab eo vis illa oratoria: itaque orationes nunquam ſcripſit, quod

quod ſciam, ſed præfationes tantum, & epiſtolas; in quibus mira hæc, quam dico, ſermonis puritas & elegantia deprehenditur. Erat præterea in notandis animadvertendiſque vitiis, & inſtituendo docendoque, prudentiſſimus. quamobrem multi viri doctiſſimi, ejus judicio atque cenſuræ, ſua ſcripta ſubjiciebant; neque, quod ipſe correxerat, defendere audebant. Hoc correctore ac judice utebatur Fulvius Vrſinus, vir, noſtra ætate, eloquentia & eruditione clariſſimus. Ego quoque eloquentiæ ſtudium, annos plures, Philoſophiæ, Theologiæ, ac Iuriſprudentiæ, quibus artibus aſſiduam operam dabam, occupationibus intermiſſum, hoc rurſus ſummo auctore & doctore renovavi. Ac tanta erat in hominem humanitas atque benignitas, ut neminem, qui ad ipſum veniſſet, reſpueret, ſed humaniter omnes exciperet, ſeque illis ad docendum daret. Cujus ego, in docendo inſtituendoque, patientiam ſatis mirari non poſſum, cum importunitatis meæ venit in mentem, qua, extremis eius vitæ annis, eram illi moleſtus. nam, cum diſcendi ſtudio flagrarem, nullus fere dies abibat, quin me illi, cum ſcriptione aliqua, ſiſterem, ut ab eo corrigerer; neq; unquam repulſus, triſtis domum redivi. Atque hæc ejus in docendo facilitas eo erat gratior, quo, ſine arrogantia, ad aliorum ſcripta emendanda, videbatur accedere. Sed totum hoc caritati illi, omnes juvandi, qua intus æſtuabat, referendum erat acceptum. erat enim vir optimus, atque ſanctiſſimus, & iis præditus moribus qui diſcuſſus in ea Societate, cui pene ab ineunte ætate nomen ſuum dederat, ubi annos quadraginta & octo ita exegerat, ut, tũ ſociis ſuis, tum aliis, exemplum eſſet, innocentiæ, probitatis, modeſtiæ, virtutumque omnium. Et, quamquam infirmiſſimis eſſet viribus, tamen longior illi vita ſuppeditavit, quam duobus illis ſuperioribus, Bencio nempe ac Turſellino, qui robuſtiore corporis firmitate eſſe videbantur. nam eſt uſq; ad tertium & ſexageſimum annũ ætate provectus. Edidit orationes aliquot D. Io. Chryſoſtomi, in Latinum converſas; videlicet, de deſcenſu Chriſti ad inferos, & latrone; & orationem in duodecim Apoſtolos; item eam, Quod nemo læditur, niſi à ſe ipſo; Catenam in Ezechielem Prophetam, ex Sforziana bibliotheca productam.

LIII. IVLIVS SANSEDONIVS.

MVltæ me cauſæ impellunt, ut Iulii Sanſedonii imaginem oris, in mea Pinacotheca, una cum aliorum illuſtrium virorum tabulis, meo rudi ſtylo, tanquam penicillo, depictis, affigam: primum, longa jam inde à puero, hominis notitia; quamquam nullus mihi cum eo uſus neceſſitudoque interceſſerit: tum, propinquitas, quam non inepte Terentianus ille ſenex, in proxima parte amicitiæ poſuit; etenim aliquot ante ejus obitum menſibus illuc viciniæ commigraveram, ubi ædes conductas habebat: poſtremo, domus in qua nunc habito, non ſolum ejus mihi memoriam refricat, verum ipſum etiam ante oculos ſtatuit; ac videre eum videor, ad crucem, quam duabus ex trabibus compactam, in horto ædibus adjuncto, defixam habebat, in Chriſti Domini paſſionis ac mortis meditatione defixum hærere; in ſacello, in quod unum ex cubiculis converterat, rem divinam facere; in bibliotheca, quam multis ex libris ſibi conſtruxerat, literis operam dare; ad B. Virginis aliorumque Sanctorum imagines, quæ in omnibus domus angulis, oſtiis, parietibus, affixæ conſpiciuntur, caput ac genua flectere; deniq; ex hac domo, quæ, multos annos, probitatis ipſius domicilium fuit, è vinculis corporis ſolutum, in cælum, (neque enim mihi aliter perſuadeo) tanquam in ſuam domum emigrare, ut, una cum ſui ſimilibus, ævo ſempiterno fruatur. nam hunc, ſane amœnum, ac remotum ab arbitris, locum ſibi delegerat, ut perquam ſimilem Eremitis vitam poſſet exigere. Neque defuerunt, qui id illi ocium quietemque conarentur adimere. etenim adoleſcens, ſumma apud virum principem gratia, ac propterea inſolentiſſimus, adnexas domui illius ædes, magnis ſumtibus, à Domino ſuppeditatis, ædificaverat; unde tam multi erant illius in impluvium hortumque proſpectus, ut omnes, qui illic habitarent, Iulio arbitri eſſent, quid ſuæ fieret domi: è qua ne foras ejiceretur, vix ætatis, ad extremum perductæ, miſericordia, & mortis jam adventantis vicini-

cinitate, obtinuit. volebat enim adoleſcens ille, longius ædificando, procedere, domumque illam, cupiditatis, quæ nunquam expletur, faucibus abſorbere. ſed omnes ejus conatus in irritum reciderunt. nam brevi Deus oſtendit, quid ſit periculi, eos lædere, ac pro nihilo ducere, quos in amicorum numero habeat. ille enim vir princeps, cujus fiducia, adoleſcens tantam arrogantiam ac tantos ſpiritus ſumſerat, aliquot ante annos, quam ille, cui mortem in foribus jam eſſe putabat, eſt mortuus, eumque ſecum una paucos poſt menſes attraxit, qui erat ipſi in amoribus ac deliciis. etenim adoleſcens, bonis omnibus everſus, extra eam civitatem, in qua opibus, gratia, atque divitiis floruerat, in quadam taberna diverſoria, omnibus ad neceſſarium uſum egens, exceſſit è medio. Sed illuc redeamus. Iulius igitur ex Sanſedonia gente, vetere ac nobili familia, ortus eſt Senis, in Etruria; quæ civitas, ut plurima atque clariſſima egregiæ ſanctitatis lumina declarant, ſanctorum virorum ſanctarumque mulierum, fœcunda ſemper genitrix extitit. Quamobrem, domi conceptam, partam, educatam probitatem, una cum bonis artibus, quibus erat excultus, tranſtulit in urbem Romam, hoc eſt, in ampliſſimum celeberrimumque orbis terræ theatrum; ut eſſet omnibus ſpectaculo. Ac pauca quædam de eo, qui in hac Vrbe perpetuo manſit, tranquilliſſime ſenuit, ac ſanctiſſime obiit, exponam; quæ non ab aliis, qui ipſi vidiſſent, accepi, ſed meis ipſe oculis hauſi. Neque ſum neſcius, longe plura, mihi incognita, ſilentio tranſiri; ſed, qui legerit, cum plura noverit, hanc à me jacturam rerum, animo æquo fieri patietur, ſi meminerit, non eſſe mihi propoſitum, clari cujuſque hominis vitam, tanquam totum corpus, cernendum referre, ſed oris tantum imaginem, quam maxime cum naturæ veritate certantem, exprimere. Ac primum, exceptus eſt inter eos Sacerdotes, qui à Sodalitate Caritatis aluntur, ut, in templo S. Hieronymi, confeſſiones audiant, Miſſæ Sacrificium faciant, ac diebus feſtis, ſolemni ritu cantuque ſymphoniæ, rem divinam faciant, interdum etiam ſermones de rebus divinis, ad ſpirituales ipſorum filios, habeant. In quo contubernio

multos laudabiliter complevit annos, adeo ut nullam egregiæ cum muliere quapiam familiaritatis ſuſpicionem dederit; nihilque commiſerit, quod eam, quæ de ejus innocentia erat, opinionem aliqua ex parte labefactaret. Præfuit deinde domui illi; in cujus impluvio, S. Philippi Nerii, ſocios ſuos B. Virgini commendantis, imaginem, coloribus pingendam exprimendamque curavit, cum elogio, in quo ſcriptum erat, S. Philippum in ea domo Sacerdotem fuiſſe, ac tres & triginta ibi annos, animarum ſaluti ſtrenue operam dando, conſumſiſſe, & Congregationis Oratorii fundamenta jeciſſe. At tantus erat, in Iulio Sanſedonio, eccleſiaſticorum rituum ac ceremoniarum uſus, tantus in agendo lepos ac dignitas, tanta in voce ſuavitas, ut fere ſemper, ad ſolemnia ſacra facienda, ad veſpertinas horas concinendas, Sacerdos adhiberetur. Per id tempus, Clemens VIII, Pont. Max. edixerat, ut alumni Collegii Germanici, Ius Pontificium ediſcerent; quod olim, faciens iter per Germaniam, ab iis, qui ad Epiſcopatus aſcendiſſent, ſacrorum Canonum ignoratione, multa iniqua judicia fieri animadvertiſſet. ejus Iuris docendi provinciam, à Patribus Soc. Ieſu demandatam, acceperat Petrus Albertinus, magis Philoſophus ac Theologus præſtans, quam Iuriſconſultus metuendus; qui, cum in diſputationibus quibuſdam, à P. Lepido Piccolomineo, ejus juris peritiſſimo, argumento breviter arguteque concluſo captus eſſet, ſive pudore deterritus, ſive quod ejus opera ab Odoardo Card. Farneſio conducta eſſet, eo ſe munere abdicavit. quod ſtatim Sanſedonius ſibi delatum accepit, neque antea dimiſit, quam à Paulo V factus eſt Groſſeti Epiſcopus. Sed, cum neque amœnum neque ſalubrem in locum veniſſet, atq; eam fortaſſe provinciam, multis obſeptam difficultatibus comperiſſet, æſtuare vehementer animo cœpit, ac varias in partes diſtrahi. Ac forſitan hæ tentationes illæ erant, à quibus cum oppugnaretur, ſibi erat viſus in ſomnis S. Philippus Nerius dicere, ut ad ea remedia confugeret, quæ olim ab ipſo didiciſſet. Etenim ſanctiſſimi illius viri memoriam præcipuo quodam honore ſtudioque proſequebatur, cui peccata ſua confiteri, ab eoque conſilium, ad omnes vi-

tæ

tæ ſuæ rationes, expetere ſolitus fuerat; atque parvum illud Chriſti crucifixi ſignum ex argento, quod S. Patris, ſepultura affecti, pectori inſidet, munus illius eſt, memoris ſui erga eundē Patrem animi monumentum. Sed cum, ut antea narrabam, diutius in ea cogitatione curaque fuiſſet, tandem ſtatuit, optimum factu eſſe, Epiſcopatum dimittere, eique, unde acceperat, reddere. quod ab ipſo factum eſt ſtatim. Verum, quia nihil ſibi reliqui fecerat, unde viveret, cogebatur prope victum emendicare. multi viri locupletes ac nobiles, ejus ſanctitatis fama compulſi, ejuſdem ſumtibus largius etiam quam neceſſitates ſuæ poſtularent, ſuppeditabant. præterea, ejus inopia ſublevabatur ab iis, quos ſacris initiabat: multi enim, ob ſanctitatis opinionem, quam de eo conceperant, dabant operam, ut ab ipſo potiſſimum initiarentur. Totus erat pietatis operibus deditus; valetudinaria inviſere, ægrotantium cubilia circumire, ægris miniſtrare, lectulos ſternere, nulla in eis curandis, ne viliſſimi quidem hominis, officia defugere, loca religioſa frequentare, ea præſertim, in quibus homines, pœnis ultro ſuſceptis, in ſe deſæviunt. deinde, ligneam ſub lecto, ubi cubabat, arcam, in qua mortuus condi vellet, habebat; in eaque, una cum mitra, pontificia ornamenta, quibus induerentur, continebantur. Quibus rebus fiebat, ut vir ſanctus atque perfectus, ab omnibus haberetur. Sed tandem ex calculo, qui omnes urinæ aditus obſtructos habebat, ſumma animi æquitate, ut ſanctos viros decet, exceſſit è vita; Patribus Congregationis Oratorii Romani, heredibus relictis: ex quo nempe Deus paupertatis amatorem non deſtituerat penitus victu, rebuſque neceſſariis pluribus: utut non parum id mirati aliqui fuerint. Multa hominem, abundanti ingenio, atque affluentem ocio, ſcripſiſſe neceſſe eſt; ſed nihil extat, quod quidem ad notitiam meam venit, præter vitam B. Ambroſii Sanſedonii, ex Dominicana familia; cujus etiam imaginem, ſupra oſtium domus, ubi corporis vinculis laxatus abiit è medio, graphice depingendam curaverat.

LIV. ROMVLVS PARADISVS.

CIvitas Caſtellana, Vejentū urbs primaria, fere ſemper plures, præſtantes in omnium virtutum genere, viros edidit, Philoſophos, Medicos; qui, ſuis ſcriptis atque doctrinis, facultati illi, cujus erant principes, plurimum ſplendoris ac luminis attulerunt. E quibus, non ſui modo ævi, ſed alterius etiam, longe ſuperioris, omnibus antecedit ille, cui Roma multum ſe debere fatetur; Alexander nimirum Petronius, qui ſuis civibus ſalubriter vivendi rationem oſtendit, &, in ea urbe, ætatem, ad extremam uſque ſenectutem, perducendi, tanquam vias aperuit. Quam multos, muſicæ artis peritiſſimos tulit! quot poëtas, non ignobiles, dedit! In quibus non poſtremum obtinet locum, Romulus Paradiſus, Hieronymi filius; qui à patre, una cum hereditate, miram, ad poëſin, indolem accepit. Fuit enim ille, poëta ſonorus ac grandis: à cujus ſimilitudine, natura filium non abſtraxit; à qua ad illud ſublime ac tragicum ſcribendi genus ferebatur; cui etiam illa corporis proceritatem, oris dignitatem, vocis claritatem ac magnitudinem, addidit, quo grandius pleniuſque, quod illi exibat ab ore, ſonaret. Sui igitur ingenii viribus fretus, in Vrbem Romulus venit, non quidem omnium rerum rudis, ſed, parentum diligentia, puerilibus diſciplinis excultus; ut fortunam experiretur, num ſibi, cupienti Remp. capeſſere, ad quam incitato ſtudio ferebatur, adverſatrix, an favorabilis eſſet. atque, ne ad honores adipiſcendos, & ad Remp. gerendam, nudus veniret, nulla juris ſcientia ornatus, jus utrumque, civile ac pontificium, didicit, & utriuſque interpretandi facultatem obtinuit. Sed, quia ita comparatum videmus, ut, qui ſe ipſo tantum, nec pecunia, fretus, quæ ſua vi perrumpit omnia, ac bonorum præmia ereptum it, adire ad Remp. velit, nugas agat, niſi aliquem ad eam aditum januamque patefecerit; videlicet, niſi apud aliquem magiſtratum vel principem virum, quid ingenio, quid lite-

literis, quid prudentia, efficere poſſit, oſtenderit; perfecit, amicorum opera, ut Petri Pauli Creſcentii, per id tempus, Cameræ Apoſtolicæ Auditoris, ab epiſtolis eſſet, ſuæque eidem integritatis, fidei, probitatiſque ſpecimen aliquod ederet. In quo munere tuendo, ſatis ſigni dedit, qua abſtinentia futurus fuiſſet, ſi partem aliquam Reip. potuiſſet attingere. nam, cum à quodam, cui, neſcio quid, apud ſuum dominū, in beneficio & gratia impetraverat, nummi aliquot aurei eſſent allati, non ſolum ab illis abſtinuit, ſed oculos, iratus, avertit; non ſolum, qui donabat, liberaliter non eſt complexus, verum etiam, male verbis acceptum, inſectatus eſt malleo, quo ſignum epiſtolis imprimebat. Quod minus mirum videretur, ſi factum eſſet ab homine locuplete ac nullius rei egente: ſed, tam ſingularis abſtinentiæ exemplum, profectum eſt ab eo, qui in ſumma rei nummariæ difficultate eſſet, maximiſque rei familiaris anguſtiis premeretur. At hic ſpectatæ vir probitatis, Creſcentio in Cardinalium collegium cooptato, ob cujuſdam, gratioſi apud illum hominis, arrogantiam contumaciamque, quam ingenio liberoque animo affecti ferre non poſſunt, coactus eſt, domo illa diſcedere, & ad Aloyſium Cardinalem Capponū, cum eodem munere, tranſire. quem ſecutus eſt Bononiam, in illa ejus nobili legatione. ubi quemadmodum partes, ſibi commiſſas ac traditas, adminiſtraverit, idemmet Cardinalis Capponus oſtendit; qui, reverſus Romam, Roberto Card. Vbaldino, omnium maximarum artium ſtudiis omniſque elegantia doctrinæ expoliti ſſimo ornatiſſimoque, commendavit, & ab epiſtolis tradidit. apud quem, dum vixit, fuit in honore atque æſtimatione: neque dubium eſt, quin ad opes honoreſque perveniſſet, ſi non celeriter eum vita defeciſſet; nondum enim ſecundum & quadrageſimum compleverat annum. Quæ mortis celeritas eo luctuoſior, atque ab artium elegantiſſimarum ſtudiis alienior, exiſtimari debet, quod non licuit illi, Mezentium ſuum, heroicum poëma, Etruſca lingua compoſitum, edere; ex quo liceret intelligere, quantum vir ille ingenio præſtaret; nec epiſtolas, ad viginti millia, typis mandare. Sed, quod caput eſt, ejus probitatis

nullum certius adduci argumentum poteſt, quod nihil fere in ejus facultatibus inventum eſt, ut poſſet efferri ac neceſſe eum fuerit, ſine aliqua pompa, in ſepulcro infimæ ſortis hominum condere. Et ſane non alius illi vitæ finis contigit, niſi ille, qui plerumque ſolet iis evenire, qui, quantumvis ingenioſi, in aulis principum virorum, fortunæ, quæ fere ſemper eſt fallax, ſeſe committunt. Illud vero, oppido ridiculum, nulla eſt ratio prætermittere. nam, cum rhythmos quoſdam typis mandare conſtituiſſet, illi, quem penes eſt facere librorum, non præcipuorum tamen, imprimendorum poteſtatem, ut moris eſt, tradidit, ut eos legeret, ac typographo excudendos dari curaret. qui, ut primum in *Paradiſi* nomen incurrit, illico, non ſecus ac ſi anguem pede preſſiſſet, exhorruit, atque, Tibi removendum eſt, inquit, ab hoc libro nomen iſtud, quod non ſecus ab Etruſcis carminibus, tanquam prohibitum alienumque, repellitur, ut cælum, ſors, fatum, aliaque ejuſmodi minime uſurpanda vocabula. ſumtoq; calamo, *Paradiſi* cognomen delevit, ejuſque loco, tria puncta, hoc videlicet modo . . . ſubſtituit. eademque opera, interminatus eidem eſt, ne auderet, *Paradiſi* nomen, in eum, unde depulſum fuerat, locum reſtituere; nam illico curaturum ſe, ut opus illud inter prohibitos atq; invendibiles libros rejiceretur. Romulus, admirans hominis ſimplicitatem, vix ſe continuit, quin in riſum effunderetur; ſed, ſibi vim adhibens, tacitus abiit. nec mora; librum typographo, cum illis tribus punctis, loco cognominis, imprimendum tradidit. cujus poſtea exempla cum inter amicos plura diviſiſſet, ut quiſque illi obviam venerat, Mi Paradiſe, ajebat, jure partam ex tuis carminibus laudem tibi vehementer gratulor. cui Romulus, admoto ad os digito, Cave, dicebat, obſecro, ne hoc me cognomento appelles, niſi poſtulas, librum, ex hominum manibus ereptum, impiorum ſceleratorumq; librorum numero haberi. At, quodnam tibi nomen dicam eſſe? replicabat ille. Reſpondebat, *Romulo trium punctorum*; nam id mihi cognomen, vetere inducto, indidit ille, qui libros imprimendi copiam facit. Quæ res, non poteſt ſatis narrari, quos ludos aulæ præbuerit.

LV. GABRIEL PENNOTTVS.

NObilis ac vetus, jam inde à Conſtantini ac B. Sylveſtri temporibus ducta, Canonicorũ Lateranenſium familia; eorum, inquam, qui arctioris vitæ lege adſtricti continentur; optimis ſemper ingeniis, ac præſtantium eloquentia, ac multiplici literarum genere, virorum copia, floruit: qui, non ſuæ modo familiæ decori ornamentoque, verum etiam Eccleſiæ univerſæ, utilitati atque ſplendori fuerunt. Atque, ut, ex ſuperiorum ſeculorũ ſpaciis, orationem in hæc noſtra tempora contraham; ex iis, qui in ea familia laude digni extiterunt, numerandus mihi videtur in primis Gabriel Pennottus, Novarienſis. Hic, ſacris literis non mediocriter inſtitutus, multos annos, apud ſuos fratres, Theologiam docendi munus egregie ſuſtinuit, ac præcipuas Italiæ civitates, Quadrageſimæ diebus, non minori eloquentia, divini verbi ſemine coluit. Sed omnis ejus facultas præſertim perſpici poteſt ex ſacri Clericorum Canonicorum Ordinis hiſtoria tripartita; quæ, ut mea fert opinio, eſt ceteris ejus laudibus anteponenda. In cujus hiſtoriæ prima parte, de clericali S. Patris Auguſtini habitu inſtitutoque copioſiſſime diſſerit; quibus de rebus magna ſemper fuit, inter eoſdem Canonicos, & Eremitanos ejuſdem inſtituti fratres, diſcordia, & gravis quæſtio, diu inter ipſos, variis diſputationibus ac libris editis, exagitata, ut etiam, ex quotidianis fere contentionibus, ad verborum quaſi contumelias deſcenderetur; cum utraque pars, non alio D. Auguſtinum habitu inſtitutoque uſum eſſe contenderit; adeo ut ſummis Pontificibus fuerit neceſſe, edictis, eorum hominum diſſenſiones dirimere. In altera vero hiſtoriæ ejuſdem parte, originem progreſſumque totius Ordinis regularium Canonicorum exponit. Tertia pars, Canonicorum Salvatoris Lateranenſis, diſerta narratione concludit. Fuit vir probus, ſuique inſtituti legibus obtemperans; dabatque operam, ut familiæ, quibus præerat,

ad legum earundem normam vitam moresque componerent. quamobrem multorum in se odium concitavit, quorum, cum magna esset omnium fere rerum libertas atque licentia, nemo erat, qui non ferret moleste, revocari se, & intra rationis cancellos includi. ac Romæ, cum cœnobiũ Deiparæ Virginis, cui à Pace nomen est, Abbas administraret, hac de causa in apertum vitæ discrimen sæpe se obtulit, cum rationes sibi referri postularet ab eo, qui multos annos pecuniam publicam tractaverat, atque in fratris, qui mercaturam faciebat, usum transtulisse dicebatur. At, die quodam, deambulanti mihi in peristylio ejus cœnobii cum uno ex illis Canonicis, quidam quasi armorum inter se concurrentium strepitus venit ad aures: cumque rogassem, quid illud rei esset, quinam inter se armis dimicarent, respondit ille, Fratres, arreptis ferramentis quæ circa cubiculi Abbatis focum essent, (erat enim hyems summa, & illuc Fratres, calefaciendi se causa convenerant,) in Abbatem impetum feciisse; qui, fulcris focalibus, illorum impetus excipiebat propulsabatque. deniq; finis fuit ejusmodi, ut, transacta potestate, omnes eum fugerent, nec vellent aspicere; ac vix inventus est superior aliquis, qui habere in suæ familiæ numero vellet.

LVI. FLAMINIVS CERASOLA.

FLaminii Cerasolæ si patriam quæris, Bergomum; si genus, nobile; nam ejus civitatis patritius fuit; si literarum studia, Ius civile, ac sacrarum doctrinarum scientiam; si mores, optimos; si ingenium, non hebes ac tardum, sed austerum, fuisse invenies. In Latinis literis, puer, institutus est à Publio Fontana, poëta clarissimo; &, cum Romam se contulisset, educatus in domo Ludovici Cerasolæ, patrui, Basilicæ S. Mariæ majoris Canonici, hominis, lingua prõmti, qui nihil pensi haberet, occulta aliorum vitia palam facere, ac, nulla cujusquam injuria provocatus, aliorum existimationi famæque detrahere. Hic noctu interfectus est à suis; idque existimabatur potentioris cujuspiam opera fuisse perfectum,

ctum, in quem ille petulanti ore fuiſſet auſus invehere. augebat ſuſpicionem, quod, cum pecunia, argento ac precioſa ſupellectile abundaret, nihil eorum deſideratum ſit. In Gymnaſio Peruſino dedit operam Iuri civili, ibique ejus artis interpretis & Doctoris nomen & facultatem obtinuit. quod arbitror fuiſſe cauſæ, cur Robertum & Hugonem fratres Vbaldinos agnoſceret, atque arcta ſibi familiaritate conſtringeret. Ac primum, Herculano Gomitolo, Peruſii Epiſcopo, navavit operam Vicarius. tum fuit tempus, cum negocioſam vitam, ocioſæ, aulæ ſplendorem domeſticis parietibus, ſtudiorum fructus ambitionis laboribus, anteponendum eſſe duxit; atque ad aulicorum Roberti Cardinalis Vbaldini, quem Peruſii, ut diximus, cognoverat, numerum venit; eique fuit à cognitionibus. quod antea muneris Sylvio Cardinali Antoniano præſtiterat. cui, ſicut & Scipioni Cobellutio Card. S. Suſannæ, carus in primis fuit. Sed, aulam fortaſſe pertæſus, homo ad literarum ſtudia propenſus, ſe patriæ reſtituit, cum locupletem Canonicatum, Cardinali Vbaldino ſuffragante, fuiſſet adeptus. Nec factum eſt diu poſt, quam illuc profectus eſt, cum ſui ipſum conſilii pœnituit; credo, quod ſæpius illi veniret in mentem, & Vrbis, quam reliquerat, magnitudinis, libertatis, magnificentiæ, ac veteris amicorum, quos ipſe diligebat, & à quibus diligebatur, conſuetudinis. quamobrem, repudiato Sacerdotio, ad Vrbem ſe contulit: &, quoniam eo animo Romam venerat, ut ibi perpetuo viveret, atque etiam vivendi finem faceret, ædes ſibi quam optimas, non procul ab Exquiliis, ædificavit, eaſque eleganti ſuppellectile, & inſigni in primis bibliotheca, inſtruxit; ſeque ad ea ſtudia revocavit, quibus ab ineunte ætate deditus fuerat; nempe ad ſacrorum librorum lectionem; ac, quæcunque tum Græci, tum Latini doctores, de B. Virgine, Dei matre, ſcripta reliquerunt, à reliquis eorum operibus excerpſit, & in plura volumina digeſſit: opus, rerum divinarum interpretibus utile; nam nullo pene ſumtu, nulloque fere labore, quidquid ad illud argumentum attinet. uno in loco conſtructum inveniunt, quod deinde in concionibus ad populum agitare, ingenii & eloquentiæ viribus, poſſint.

Erat

Erat homo religioſus ac pius. nam, quicunque domum ejus venerant, omnes ad Chriſti infantuli ac lactentis ſigillum, ex cera, ni fallor, affabre factum, adducebat, & ad ſecum Orationem Dominicam & Salutationem Angelicam recitandam, invitabat. domi hortum habebat, unde flores lectiſſimos, omni tempore anni, ad infantulum illum ornandum colendumque excipiebat. tum, tempore Quadrageſimæ, ſemel in die, idque veſperi, cibum capiebat; & quotidie mane rem divinam in eo templo faciebat, quod, ex veteri Eccleſiæ inſtituto, ad ſcelerum ſuorum expiationem, populi frequentia, celebrabatur. Sed erat etiam iracundus, immitis; vitia hominum, ſive quod ea ferre non poſſet, ſive naturali quadam acrimonia, nullo hominum delectu habito, reprehendebat, inſectabatur, majora verbis faciebat. quo fiebat, ut in multorum odium & offenſionem incurreret. Habuit etiam fratrem, Ioanne Ceraſola nomine, Gregorii XIIII honorarium cubicularium. Moriens, omnium bonorum ſuorum heredem inſtituit Sodalitatem ſuæ nationis, ea lege, ut Collegium adoleſcentium Bergomatum fundaret adminiſtraretque.

LVII. ADRIANVS POLITVS.

SI Adrianus Politus, M. Antonii filius, Senenſis, mortuo Cardinali Cornelio, cui in ſcribendis epiſtolis operam dabat, divinare potuiſſet, neque erraſſet in eligendo, quam potiſſimum de duabus conditionibus, quæ illi proponebantur, perſequeretur, unam, Cardinalis Sorbelloni Mediolanenſis, Cardinalis Peretti à Monte alto alteram; uterque enim eum ſibi expetebat; parem meritis ſuis fortunã fuiſſet aſſecutus. Sed maluit, ad Sorbellonum migrare; credo, quod exiſtimaret, Pontificatui eum maximo opportuniorem, quam illum alterum, quamvis Sorbellonus ad rem attentior eſſet; eumque, Gregorio XIII mortuo, ſecutus eſt, in conclave euntem. ubi Cardinali Peretto, quem repudiaverat, ad Pontificatum Max. evecto, quantum conjectura erraſſet,

ſet, intellexit; ac tum, majorem ex errore ſuo dolorem ſibi ſenſit inuri, cum eum vidit, qui locum illum, nempe ab epiſtolis, quem ipſe neglexerat, occupaverat, ad Cardinales reſcribi. Sed Cardinalis Sorbellonus, cum mortem obiret, certam quandam pecuniæ ſummam inter familiares ſuos diſtribuendam legavit, pro ratione cujuſque dignitatis, & temporis, quo in ſua familia fuiſſet: verum Adrianus, ex ea pecunia, quæ ad ipſum pervenerat, uſum fructum quarundam ædium, ad ſcalas Montis Iordani, ſibi coëmit, ut iis, quoad vita ſuppeditaret, uti frui liceret; quæ ſemper omnibus nobilibus popularibus ſuis apertiſſimæ hoſpitaleſque fuerunt. Etiam tum adoleſcentulus comœdiam, quæ Deceptorum inſcribitur, compoſuit; &, quo tempore, Romæ, ſui juris ac ſpontis fuit, Cornelium Tacitum in vulgarem ſermonem convertit; ſed, cum ſibi ipſe non ſatisfaceret, rurſus illud opus limæ traditum, longe expolitius atque perfectius reddidit. Scripſit etiam librum, Lexici cujuſdam inſtar, in quem verba omnia Etruſca atque Latina conjecit, ac ſuis interpretationibus illuſtravit; qui liber acriter vehementerqne oppugnatus eſt ab Academicis Florentinis, quorum plures, longo amicitiæ uſu ſibi conjunctos habebat; ſed, eruditorum fere omnium ſententia, omnia argumentationum quaſi tela, ab arce defenſionis ſuæ, fortiter ac ſtrenue, hoc eſt, docte eruditeque, propulſavit ac repulit. Sed, cum jam ab onere ſenectutis ſe gravius urgeri ſentiret, Vrbi ſe Romanæ ſubtraxit, quæ, tanquam mare æſtuans, perpetuis ambitionis aliarumque curarum fluctibus agitatur, & in oppidum S. Quiriaci ubi natus fuerat, quaſi in portum, ſe recepit; ut ibi, quod reliquum eſſet vitæ, ocioſe ab animo degeret. Vbi non diutius, quam annos ſex, manſit, propterea quod ejus quies crebris amicorum, ad ſe adeuntium, ſalutationibus interpellaretur. Itaque, ſæviente hyeme, Sarcianum abiit; ubi alios ſex annos, ſecum, ut dicitur, vixit, & anteactæ vitæ rationes accepti & expenſi cum Deo ſubduxit, &, quod erat reliquum de ratione, eſt conatus illi perſolvere; atque, menſe Octobri, annos natus tres & octuaginta, eſt morbo conſumtus. qui, ſuo in ſepulcro,

hæc

hæc verba, à ſe compoſita, inſcribi: *Hic jacet Adrianus, M. Antonii Politi & Virgiliæ Ceinæ filius; qui in hac vita nihil maluit, quam quod fuit; utinam in alia ſit, quod maxime concupivit. Ne mireris hoſpes, neve hoc ſuperbe dictum putes. nam, ab adoleſcentia, nunquam fere medico vel advocato uſus, proſpera ſemper valetudine fuit. non enim eſt vivere, ſed valere vita. implevit annum octuageſimum tertium, in quo primum lenta febri decubuit, & occubuit.* Dicitur fuiſſe ingenio acri, atque mordaci; ut propterea, judicum decreto, interdictum fuerit bibliopolis, ne librum epiſtolarum, quem ediderat, venalem haberent, quod in iis, in Principis illius, quem ad rem fuiſſe attentum diximus, aliorumque mores acriter vehementerque inſectatus eſſet.

LVIII. CELSVS CITTADINVS.

EX omnibus rebus, quæ hominum ad ſe ingenioſorum ſtudia ac voluntates alliciunt, ſumma atque perfecta omnis antiquitatis notitia, Celſi Cittadini, patritii Senenſis, ad ſe operam, laborem, & induſtriam attraxit. Ac primum, nulla erat paulo illuſtrior familia, de qua ille, interrogatus, non ſtatim eſſet progeniem illam, uſq; ab eo, qui ejus fuiſſet auctor nobilitatis, memoriter proferens. Atque ad eum finem, ex omnibus publicis Senarum tabulariis, ad tria voluminum millia attente diligenterque perlegerat, ex iiſque, quæ ſibi uſui eſſent, excerpſerat. tum, veterum numiſmatum cognitionem, ita, longo uſu, fuerat conſecutus, ut vix numinum aliquem aſpiceret, quin ſtatim, quanti ille eſſet, ac cujus Imperatoris vel Conſulis ætate fuiſſet impreſſus, afferret. at vero, in veterum monumentorum elogiis & inſcriptionibus legendis explicandiſque, ea erat eruditione ac ſcientia præditus, ut paucos haberet pares, qui autem illum antecederet, neminem fortaſſe inveniſſes. Ad hiſtoriam vero quod attinet, adeo omnium ſeculorum memoriam, quam ex libris acceperat, diligenter animo ſeptam & cuſtoditam habebat, ut non poſſet effluere; &, ſi

&, ſi quid ex hiſtoriis repetendum eſſet, revocabat ſe in animum ſuum, ibique, explicatis ordinibus temporum, uno in conſpectu omnia videbat, quodque opus ad rem eſſet, excipiebat. Etruſcam vero linguam ita poſſidebat, ita totam fecerat ſuam, ut nullum ſit in ea verbum, vel priſcū, vel novum, vel inuſitatum, vel ab uſu quotidiani ſermonis intermiſſum, nullū vel ſimplex vel tranſlatum, quod ille non noſſet; nullus dicendi modus, elegans, venuſtus, amœnus, cujus ille rationem non redderet. atque, ut, ad ea probanda quæ diceret, veterum librorum teſtimoniis uteretur, quingenta volumina, auctorum ipſorum manu conſcripta, ut Petrarchæ, Boccatii, Bembi, aliorumque, ſumtu, labore, ac diligentia comparaverat. Græcam linguam noverat, ad marmorum antiquorum inſcriptiones, non minima ex parte Græco ſermone Græciſque literis exaratas, intelligendas legendaſque neceſſariam. Neque Græce ſolum ſcivit, verum etiam Hebraice. Multarum præterea artium elegantiſſimarum notitia præſtabat, ut Coſmographiæ, atque plantarum. Erat optimis atque doctiſſimis viris deditus: itaque, quotquot, ſua ætate, ſummæ doctrinæ & eruditionis famam habebant, uſu amicitiaq; comprehenderat; in his, Franciſcum Bencium, Fulvium Vrſinum, Antonium Quærengum, alioſq; non parum multos. In omni vitæ genere, veteribus Philoſophis par ſimiliſq; inveniebatur. ejus enim victus, veſtitus, erat ſimplex, parabilis, ſine munditiis. Neque id vitæ genus Senis ſolum adhibuit, ubi, annum agens ſeptuageſimum, diem obiit extremum; verum etiam Romæ, apud ſummos viros, in quorum aulis verſabatur, nihilo ſe nitidius, nihilo ornatius mundiuſque, tractabat; neque dubitabat, in hominum facetorum urbanitatem incurrere, qui omnia poſita in eo arbitrantur, ut ſcite convivium exornetur, ut ædes nitent, ut calces arcte pedibus hæreant, ut omnis ornatus hominem deceat. at ille, bono ingenio ſe maluit eſſe ornatum quam ſerica veſte indutum, honeſtis moribus præditum, quam nullis inquinato ſordibus amictu circundatum; quod, ut mulier inquit illa apud Comicum,

Pulcrum ornatum, turpes mores pejus cœno collimunt,
Lepidi mores turpem ornatum facile factis comprobant.

LIX. CLEMENS MERLINUS.

EA mihi ſententia veriſſima ſemper eſt viſa, quæ de uniuſcujuſque ingenio judicandum præcipit, ex eorum moribus, quibus cum ille conjunctiſſime vivit. Quis enim, cui nihil penſi ſit, fidem frangere, ab jure, ab æquitate diſcedere, caſtitatem nihili pendere, amicus eſſe poterit illi, qui virtutes illas amplectatur, colat, & ſanctiſſimas habeat? Qui à literarum ſtudiis abhorreat, atqui omni mente & cogitatione totus in eo ſit, ut, quidquid incidat in animum, velit, & quod voluerit, conetur atque perficiat; audebitne fœdus amicitiamque cum eo connectere, cujus animo nulla major ſit voluptas, quam totum vitæ ſuæ tempus, evolvendis Philoſophorum Iuriſconſultorumque libris, diſcendi cauſa, conſumere? Omnino ſic ſe res habet, ut ſimilitudines ſtudiorum ac voluntatum, maximam ad amicitias conjungendas vim habeant, &, quod eſt conſequens, ex amicitiis, quibus unuſquiſque implicatur, quale ſit *illius* ingenium, ſive probum ſive malum, ſtatuere *liceat*. Quamobrem, quamvis Clemens Merlinus Forolivienſis, nobili apud ſuos genere ortus, ſua ſponte, multis atque præclaris ingenii ſui monumentis, ſatis ſigni dederit, egregii cujuſdam animi atque præſtantis; attamen, ex amicis, quibus ille deditus erat, manifeſte apparebat, qualis quamq; egregia ineſſet homini indoles, ad omnes pulcherrimas artes ad amuſſim effecta. Longum eſſet, ſigillatim omnes optimos doctiſſimoſque viros enumerare, quos ille complexus amicitia fuerat: ſatis ſit, uno verbo ponere, tot eos fuiſſe, quot ætas hæc extulit. Atque, ſi nulli eſſent, quos proferre poſſemus, ſolus Fabius Chiſius, vir domi ſuæ nobiliſſimus, ſanctiſſimis moratus moribus, ab ingenio, doctrina, & eruditione locupletiſſimus, rebus geſtis, multiſque provinciis, pro Eccleſia Romana, ſumma cum abſtinentiæ, probitatis, prudentiæque laude, adminiſtratis, longe clariſſimus, quo ille eſt uſus familiariſſime, poſſet ipſi, egregii & excel-

excellentis viri opinionem famamque conficere. Sed, quamquam magna hæc Clementis ſit laus, tamen foris expetitur. habuit etiam apud ſe alia multa, ſui ipſius propria, in quorum ſocietatem non alius ſe infert. Multæ in eo literæ & exquiſitæ; nec deerant noſtræ hæ liberaliſſimæ humaniſſimæque; adeo ut, tum Latine, tum Etruſce, docte eleganterque perſcriberet. aderat Philoſophiæ, ac præſertim Iuris civilis, ſcientia, cujus uſum Chiſius ab illo, doctrinam à magiſtris, accepit; ſumma ſermonis comitas, lepor, venuſtas, admirabilis morum ſuavitas affabilitaſque; qua adeo Ludovicum Card. Ludoviſium, quo tempore privatus Sodalitatem Deiparæ Virginis Aſſumtæ, in domo profeſſa Soc. Ieſu, una cum illo frequentabat, ceperat, totumque poſſederat, ut ſe nihil eſſet illi carius, nihilque jucundius. Qui Cardinalis deinde, Gregorio XV, patruo ſuo, Pontificatum Max. adepto, nihil habuit antiquius, quam ut illum, quibuſcunque poſſet modis, ornaret; ac primum perfecit, ut in Auditoribus Rotæ numeraretur; tum, manibus pedibuſque, ut dicitur, obnixe omnia fecit, ut in Cardinalium ordinem vocaretur. ſed omnes ejus conatus in irritum reciderunt: nam Pont. ſummus, ſive, ut communi more hominum loquar, fato aliquo, ſive quia egregia hominis merita parum nota atque perſpecta haberet, obfirmaverat ſe, hac in re fratris filio morem non gerere. nam, quamvis totius Reip. adminiſtrationem in ejus ſolicitudinem curamque rejeciſſet, Cardinales tamen creandi arbitrium penes ſe eſſe voluerat. ſed, cum Cardinalis acrius vehementiuſque inſtaret, urgeretque, ut honoris ſui gratia, id homini amiciſſimo, ſibique gratiſſimo, largiretur, tandem Pontifex, odio victus, Cedo, ait, alterum, qui meo magis animo allubeſcat; nam, in hoc, ne fruſtra ſis, operam perdis. cumq; Cardinalis diceret, neminem ſe alium, niſi Merlinum, velle, ridicule Pontifex reſpondiſſe fertur, Quoniam ita te obſtinate obduras, neque Merlinum neque Merlottum habebis. Interea dum altercationibus dies teritur, tempus abit. ac Pontifex, antea quam nova Cardinalium comitia fierent, è vita deceſſit. Gregorio extincto, de ſpe longius honoribus procedendi, Cardinalis Ludoviſii

opera, lapſus, ad cognoſcendas cauſas totum ſe contulit, & magnam optimi Iuriſconſulti laudem eſt adeptus. Sed cum, procedente tempore, cœpiſſet ſe nitidius in menſa tractare, neque ſolum invitare in cœna & in prandio pluſculum, verum etiam, quavis diei hora, cum ſitis urgeret, largius, nivatum in ſe merum invergere, contigit id, quod neceſſe erat, ut fieret plenior, vel potius obeſior. Verum, cum propter civilia officia, ac perpetuas ſtudiorum occupationes, quibus tenebatur, nullum fere ſepoſitum tempus haberet, quod curationi corporis daret, ambulationi præſertim, cujus finis eſt ſudor, vel laſſitudo, qua noxii humores inutileſque tolluntur, quibus corpus abundat; acuta febri correptus eſt, & paucos intra dies ab ea peremtus.

LX. MVTIVS VITELLESCVS.

MVtius Vitelleſcus, Alexandro patre natus eſt Romæ, ex antiquiſſima nobiliſſimaque familia, quæ Corneto, ad quod oppidum, ejus origo refertur, profecta, in Vrbem ſe contulit. quæ familia, nunc ad unum ſenem redacta, ejus morte (quæ eſt omnium rerum humanarum condicio, ut, quæ ſunt orta, occidant,) una cum illo extinguetur. Sed parens Mutii, cum eſſet locupletiſſimus, ac, propter divitias ſummamque nobilitatem, magna apud omnes exiſtimatione & honore, propemodum eſt ad egeſtatem adactus, quod pro non nullis magnam pecuniam interceſſiſſet. nam qui homo ſeſe miſerum ac mendicum volet, præs pro altero fiat. Quamobrem, quo fidem ſuam ſervaret, coactus eſt auctionem facere, ac relicta à majoribus ſuis bona divendere. Verum Mutius, ſimul ac, de parentum gremio exiens, eſt profectus in ludum, ſtatim magna edidit, non adumbrata ſed expreſſa, ſigna virtutum. Erat in puero docile ingenium, quo celeriter acciperet, quæ tradebantur; memoria ſumma, qua, quæ tradita fuerant, cuſtodiret; mens, ad optima facilis, & à vitiis abhorrens; quam etiam ſevera parentum diſciplina, & ſolers,

formandi

formandi cuſtodiendique in ætate prima filiorum pudoris, diligentia, ad virtutem incitaverat. Accedebat forma honeſta, ſumma ſuavitas oris ac vocis, ſine arrogantiæ ſuſpicione gravitas, mores denique ad omnem venuſtatem mirabiliter facti. Quibus rebus fiebat, ut parentes ipſius, iique quorum intererat, eum quam optimum fore augurarentur, omnes in eo ſuæ familiæque dignitatis ſpes collocatas haberent. Neque dubium eſt, ſi ille ad Remp. voluiſſet accedere, quin, aſcendens per omnes honorum gradus, cum illis moribus, ad ſummam amplitudinem fuiſſet perventurus. Sed, Patribus Soc. Ieſu in diſciplinam traditus, ut in ipſorum Gymnaſio bonis artibus inſtitueretur, ſive eorum Patrum ſanctitatis exemplo permotus, ſive divini numinis afflatu impulſus, maluit, res perennes ac ſtabiles brevibus atque caducis, æternas interituris, anteponere; atque dedit operam, ut in Societatem reciperetur. Neque fuit illi magnopere laborandum: nam tanta vis ingenii atque virtutis erat quærenda, roganda, obſecranda, non autem, ultro ſe dans, repudianda. Cujus rei nuncius ſimul ac allatus eſt domum ad parentes illius, eoſque qui futuræ adoleſcentis amplitudinis ſpe alebantur, continuo commoveri omnes, queri, clamare; adoleſcentem, imperitum rerum, illud facinus, nondum confirmato conſilio, ſed dolis eorum captum, fuiſſe aggreſſum, qui, ad quæſtum ſuum callidi, quicunque in adoleſcentibus Romanis, qui ſcholas ipſorum frequentarent, ingenio, nobilitate, divitiiſque polleret, in ſua caſtra conarentur adducere; optimum eſſe factu, aliquo eum in loco, ab inſidiis illorum tuto, collocare, atque experiri, num occulto divini numinis impulſu, an temerario ineuntis ætatis impetu, fuerit in eam cogitationem delatus: nam fore, ut, à perſuaſionibus illorum deſertus, mutata voluntate, quaſi velificatione, ad nova conſilia animum appelleret, & ad ſuos penates rediret. Itaque à Gregorio XIII impetrant, ut tantiſper fidei cuſtodiæque Patrum Oratorii, quibus P. Philippus Nerius, clarus ſanctitatis fama, præerat, committeretur, quoad ſe ipſa res aperiret, videlicet, non illum Patrum Ieſuitarum dolis deceptum, ſed ſua ipſius ſponte, ad illorum

vitæ genus fuiſſe compulſum. At, cum S. Philippus, ſive parentum illius rogatu, ſive adoleſcentis animum tentandi gratia, conatus eum eſſet ab eo conſilio revocare, ita ille locutus fuiſſe dicitur, ut vir ſanctiſſimus, Spiritui Sancto, quo ille impulſus agebatur, non eſſe reſiſtendum, decreverit. Remiſſus igitur in Domum probationis, unde fuerat abductus, ſecum una Stephanum Bubalum, nobiliſſimum Romanum, quem, ſæpius ad ipſum officii gratia ventitantem, fecerat lucri, perduxit. qui poſtea Stephanus eos in literarum ſtudiis profectus fecit, ut Philoſophiam ac Theologiam multos annos docuerit, ſtudiis Gymnaſii Rom. Soc. Ieſu præfuerit, Domum ſive collegium pœnitentiariæ Apoſtolicæ, Rectoris nomine, adminiſtraverit, diſputationem de Angelis eruditiſſimam doctiſſimamque typis mandaverit. At Mutius, ſumma ſociorum omnium gratulatione, tanquam poſtliminio reverſus, excipitur. nam, quanto Societati ipſorum futurus eſſet ornamento, ſentiebant. neque opinionem, quæ de ipſo erat, fefellit, ſed multis partibus auxit. erat enim exemplum modeſtiæ, demiſſionis animi, obedientiæ, virtutumque omnium; inter æquales ſuos, ingenii præſtantia, clarius ceteris, explendeſcebat: quas omnes virtutes magis commendabant mores, natura mitiſſimi; ſimplex, nec arte quæſita, qua ſe dabat omnibus, comitas; & egregius, ut diximus, oris decor ac dignitas. Mature fuit ad docendos alios adhibitus, non quaſcunque diſciplinas, ſed omnium maximas atque graviſſimas, nempe Philoſophicas ac Theologicas. itaque ad ducentos, (nam ego quoque in illis eram) ipſo itineris duce ac demonſtratore, triennale Philoſophiæ curriculum confecimus; ac, ne idem in Theologia, ſicut aggreſſus fuerat, efficeret, repentina quædam vis morbi prohibuit, ex perpetuo ſtudiorum labore, quem vix poterat ferre, contracta; quod tenui & infirma eſſet valetudine. quamvis id naturæ vitium, optima vivendi ratione, ac præſertim temperantia, ita correxit, ut ad ſummam fere ſenectutem pervenerit. Cum igitur ſanguinem cœpiſſet expuere, cumque metus eſſet, ne brevi in aliquam tabem incideret, ſuperiores, de medicorum ſententia, à docendi eum munere, ad ipſorum

Remp.

Remp. adminiſtrandam, tranſtulerunt: & initium magiſtratuum gerendorum cœpit à Collegio Anglicano. nam, cum alumni illi ſeditionem feciſſent, qua Patrum Soc. Jeſu imperium detrectabant, miſſus eſt, ad eos compeſcendos, atque in officio retinendos, Rectoris ac moderatoris jure ac nomine. qui ſtatim, contumaces illorum motus, blanda, ac liquidiore quam ullus eſt Favonius, oratione ſedavit; ac deinceps, ne commovere ſe poſſent, incredibili quadam animi lenitate, in quam, cum opus eſſet, ſeveritatis nonnihil influeret, firmavit, ſibique ad nutum dicto audientes effecit. Ne multa; tam ſcitus tamque doctus rei bene gerendæ inventus eſt artifex, ut non ulla eſſet provincia tam difficilis tamque ardua, quæ non illius digna adminiſtratione videretur. Itaque, nulla res eſt in ea Societate, in qua aut honos aliquis ſit aut poteſtas aut procuratio, quin ea res illi ſit delata. atque ſæpius Provincialis, poſtea Aſſiſtentis, functus eſt munere. qui honos, cum apud illos, ut revera eſt, maximus habeatur, diligentiſſime mandatur, neque cuiquam committitur, niſi illi, qui probitate, prudentia, ac rerum uſu, ceteris antecellat. quos omnes magiſtratus ita geſſit, ut neminem non ſolum ab ſe non alienaverit, ſed, id quod in poteſtatibus difficillimum habetur, omnium in ſe amorem, benevolentiam, ſtudiumque converterit. Quapropter, cum Claudius Aquaviva, Præpoſitus generalis, ex podagra, in morbum implicitus, deceſſiſſet, adeo, tantus illi locus, atque honos deberi exiſtimabatur, ut nemo contradiceret. Factus igitur generalis Præpoſitus, per annos triginta continuos, in eo munere, ſumma omnium virtutum cum laude gerendo, verſatus eſt. Ac, pro virium imbecillitate, nam infirmo erat corpore, ſatis commoda uſus eſt valetudine. tantum, aliquot ante annos quam eſt mortuus, cum, die quodam, Card. Franciſco Barberino advenienti præſto eſſe vellet, ac celerius per cochlides ſcalas ſe demitteret, pede lapſus concidit; quo caſu crus graviter læſit, habuitque neceſſe, quoad vixit, claudicare, ac ſcipione, ne caderet, uti. Poſtremo ætatis ſuæ anno podagra cœpit urgeri; ad extremum gravius ac periculoſius ægrotare. cumque, ad ultimum caſum adductus, ac

paululum de mentis ſtatu dejectus, complures dies, ita defixus lecto jacuiſſet, ut nullam in partem commovere ſe poſſet, tandem ad optatos S. Patris Ignatii evolavit amplexus; à quo ſextus, Societatem, quam ille fundaverat, gubernavit ac moderatus eſt, cum ſumma prudentia. Obiit, annos natus unum & octuaginta. Plurimum valuit in dicendo; quamquam in concionibus ad populum, quod, corpore erat infirmo, non multum jactare ſe potuit; ſed in cohortationibus, nemo erat, cui ille deberet cedere. Vox clara, canora, & jucunde ad autes accidens; ſententiæ illuſtres, concinnæ, venuſtæ: dicendi genus elegans, elaboratum, politum, quodque multitudinem magis delectaret, quam moveret. nam illam vim, qua permoveret atque incitaret animos, in qua ſunt omnia, non admodum tenuit. itaque, ſi eſt optimum, ſuaviter dicere, nemo erat, qui eo melior inveniretur.

LXI. IO. STEPHANVS SYRVS.

SI quibuſdam magnis ac præſtantibus viris tam longa vita ſuppeditaſſet, quam magnum ingenium & ad omnia ſumma idoneum contigit, profecto nemo illis viris gloria præſtitiſſet. Sed iniquo plane jure fieri videmus, ut, quibus ſingulare atque admirabile ingenium natura tribuerit, mors illis ejuſdem augendi declarandique ſpacium ademerit, & egregia ac præclara multorum, quæ ab illis, ad illuſtrandas eas artes quas colebant, prodire potuiſſent, tanquam ſemina enecaverit. Ex hoc numero multi, patrum noſtrorum memoria, extiterunt: noſtra vero ætate, ut de aliis taceam, proferre poſſumus Io. Stephanum Syrum, Savonæ nobili genere natum. In hoc, jam inde ferme ab incunabulis, ea, ad omnia diſciplinarum maximarum ſtudia, indoles ac materies eluxit, ut Franciſcus parens, ex ſex & viginti præſtantibus ingenio liberis, quos ex Maria Barra, uxore, ſuſceperat, unicum elegerit, quem eruditiſſimorum hominum artibus, omnique eleganti doctrinæ totum addi-

addiceret; cum alios ferme omnes poſt primam illam puerilem inſtitutionem ad alia liberaliſſima ac digna homine nobili ſtudia traduxiſſet. quamquam eorum non nemo, non ſolum tinctus literis, ſed Latinæ linguæ literate peritus extiterit. ac, cum de multis poſſem dicere, ne ſim longior, uno Io. Baptiſta mea definietur oratio. Hic, multos annos, primum ſolus, tum, cum Alexandro fratre, ita negotiatus eſt Romæ, ut nunquam omnino literarum ſtudia, quibus à puero operam ſuam dederat, intermiſerit, ſed ad ea, quoties maximorum negociorum onere, quibus premebatur, paululum ſublevatus eſſet, ſeſe retulerit. poſt autem, ſummis illis laboribus, aut omnino aut magna ex parte, liberatus, Alexandri fratris pietate, qui eos in ſe ſuſceperat, ac ſæpenumero, in amœniſſimo ſuo ſuburbano, optimorum librorum lectione, quibus non exigua loculamenta inſtruxerat, ætatem exegit. Quemadmodum autem una cum fratre graviſſimis publicis negotiis, ſuæ fidei diligentiæque commiſſis, ſatisfecerit, incredibile memoratu eſt. tantum inveniendo excogitandoque, tantum ingenio prudentiaque valuit, ut ad belli, quo tum Italia exarſit, ceterarumque rerum maxime neceſſariarum uſum, infinitam pene vim pecuniæ, ſine cujuſquam querela vel damno, ſubminiſtraverit, ac res difficiles, arduas, dubias, implicataſque, certas, faciles, explicataſque, conſilio atque ratione, reddiderit. quam deinde provinciam cum alii magno quidem animo, ſed non eadem qua ille virtute atque prudentia, ſuſcepiſſent, nec ea illis ſub manus recte ſuccederet, immo fœde omnia provenirent, laudis illius obtrectatione conati ſunt periculum illi creare, ejuſque res amplas atque magnificas in anguſtum coartumque contrahere. Sed hominis virtus, integritas, fides, majoribus erat præſidiis munita, quam ut expugnari, latiore ejus res campo extendebantur, quam ut ſtatim contrahi poſſent. quamobrem omnes adverſariorum conatus repulſi, in irritum reciderunt. Tali igitur viro Io. Stephanus frater à parentibus eſt commendatus & traditus, ut omnibus eum doctrinis excolendum curaret. qui ſtatim, puerum, annos natum non amplius tredecim, in Gymnaſinum Soc. Ieſu, diſciplinæ

cauſa, miſit; ubi, admirabilis ingenii illius celeritas longam magiſtrorum operam non deſideravit; nam vehementius properabat, quam ut condiſcipuli, laudis ejuſdem cupidi, æquo animo ferre poſſent, atque, intra ſexennium vix integrum, omnes diſciplinas, quæ à Patribus illis traduntur, arripuit, Grammaticam, Rhetoricam, Philoſophiam, aliaſque. Scribebat, tum ſoluta oratione, tum verſibus, elegantiſſime; ut propterea, in maxima concione, ſit præmio donatus; qui honor, adoleſcentibus illis, prope dixerim, peræque glorioſus habetur, atque iis, qui Olympiæ in quinquennali illa ludorum celebritate victores, præconis voce, citabantur. Sæpe diſertiſſimas orationes habuit; ſæpe poëmata recitavit; in publicis Philoſophicis diſputationibus, ab ipſo diſſentientium argumenta, tanquam tela, cum plauſu rejecit. Has artes, tanquam ſolum ac fundamentum ſubſtruxit Iuris prudentiæ fabricæ, quam erat exædificaturus: quam fabricam, quid mirum, ſi tam alte extulerit, cum nihil materiæ, nihil labori pepercerit, cum non à Græcæ Latinæque linguæ notitia, non à Philoſophia, ut plerique faciunt, inermis ac rudis, ſed iis artibus pulcre inſtructus, ad jus civile percipiendum acceſſerit? nam cum brevi ejus artis, qua nulla eſt facilior, cognitionem devoraſſet, ita pectus, Iuris civilis ſcientia, complevit, ut antea prope magiſter quam diſcipulus, juris interpres quam conſultor, inventus ſit eſſe. Neque jam quidquam relictum videbatur, niſi, ut quod naturali ſingularis ingenii prudentiæque bono, & abundantia doctrinæ, ſponte ſua faceret, ut nimirum legum ſententias aperiret, Iuris laqueos enodaret, ſuarum rerum incertos compotes conſilii dimitteret, id inquam etiam munus, eorum auctoritate conceſſuque aſſequeretur, quibus jus eſt ac poteſtas, juris utriuſque publice interpretandi facultatem aliis attribuere. Hanc igitur facultatem, magna omnium cum voluntate adeptus, etiam tum adoleſcens, domum ſuam omnibus apertam, cœpit habere, qui in ſuis rebus turbidis, ipſius eſſent opis indigentes. Itaque domus illa, ut de Q. Mutii janua veſtibuloque narratur, magna quotidie frequentia civium, ac ſummorum hominum ſplendore, celebrabatur.

Quod

Quod munus, de jure reſpondendi, eo erat omnibus gratius, quod illud ſumma cum animi integritate innocentiaque conjunxerat. Non eas ille lubricas adoleſcentiæ ingreſſus eſt vias, in quibus conſiſti ſine caſu vix poteſt; ſed directum ad virtutem perſecutus eſt iter. Nihil dedit ætati, nihil voluptati conceſſit, nihil conviviorum luſtrorumque libidini tradidit. Neque dubium cuiquam erat, quin brevi illius domus futura fuiſſet totius civitatis oraculum, ſi per Vrbanum VIII Pont. Max. licuiſſet, qui, cum divinis quibuſdam bonis inſtructum exornatumque eum aſpiceret, æquum exiſtimavit eſſe, lumen illud conſilii, doctrinæ, ac ſanctitatis, patriæ, unde emanaverat, reſtituere, ut illam tueretur, augeret, ornaret. Sed tum omnium ſententia fuit, elegantius Pontificem illum facturum fuiſſe, ſi lumen illud in arce orbis omnium terrarum, Romæ videlicet, conſtituiſſet, ut non uni populo, ſed nationibus omnibus illuceſceret. Itaque, vix expectato legitimo tempore (nam trigeſimum pene ætatis annum attigerat,) Savonenſem Epiſcopum eum creavit. Illud vero inſigne ac ſingulare ipſius doctrinæ exemplum edidit, quod eo ipſo die, quo iſtud ipſi onus demandatum fuerat, cum ſe in ſuburbanum ſuum, de quo diximus, contuliſſet, ſive colligendi ſui gratia, ſive meditandi, quantum eſſet illud onus, quod ſuis humeris imponeretur, admonitus eſt, ut poſtridie Pontifici ſe ſiſteret, quo de ſe, ut moris eſt, periculum fieret in literis: ſed, quamvis omnibus rebus imparatus acceſſiſſet, uſque eo ſe ſolertem exhibuit, ut, interrogatus ab Antonio Coccino, Rotæ auditore, ac poſtea Decano, qui ejus excutiendi partes acceperat, de nova ac perplexa quæſtione, quam ille diu ſecum agitaverat, at Io. Stephanus ne cogitaverat quidem, ita docte, ita fidenter, Coccino contra diſſerenti, reſpondit, ut ipſe Vrbanus diceret, ipſius diſputationem probabiliorem verioremque, quam Coccini, ſibi videri. Profectus Savonam, biennio poſt revocatus ab Vrbano, ut ad majores res adhiberetur, dum profectionem adornat, eſt mortuus. quanto Io. Baptiſtæ & Alexandri fratrum, ac totius civitatis, cui illi ob incredibilem ipſorum humanitatem ac ſuaviſſimos mores,

erant gratiſſimi, cum dolore dici non poteſt. videbant enim, ſummum familiæ ſuæ ornamentum ac decus extinctum; quod Vrbanus, prudentiæ, qua Eccleſiam ſuam adminiſtrabat, fama commotus, ampliſſimis eum honoribus deſtinaverat; cumque vita functum audiviſſet, Profecto vir ſanctiſſimus, inquit, eſt mortuus.

LXII. ANTONIVS MARIA DE GRATIANIS.

QVam multa ſæpe ac ſumma ingenia in occulto latent! quæ, ſi amica cujuſpiam opera in apertum proferrentur, maximum ſibi, familiæ, patriæque ſuæ, atque adeo orbi terrarum, ſplendorem & ornamentum poſſent afferre. Nunc autem, cum, tanquam ferrum humi defoſſum, in tenebris jaceant, ſua deſidia, tanquam rubigine, exeduntur, & illorum uſus nequior efficitur. Atque, ne longius aberret oratio, niſi Antonius Maria de Gratianis, Biturgiæ, nobili in primis loco, natus, in Cardinalem Commendonum incidiſſet, quicum Aloyſio fratri magnus uſus & amicitia intercedebat, vel in caſtris uſu militiam didiciſſet, Iulii patris exemplo, qui ſæpe in ea ordines duxerat, vel procul à Rep. ſine literis, ſine aliquo rerum uſu, agrum, à patre relictum, coluiſſet, vel per inertiam deſidiamque, morti ſimilem vitam exegiſſet. Commendonus igitur, qui fortaſſe, qua erat animi ſagacitate, adoleſcentis ingenium odoratus fuerat, Aloyſio fratri fuit auctor, ſuaſor, impulſor, ut liberalibus eum diſciplinis erudiendum inſtituendumque curaret. Itaque, annos natus unum & viginti, miſſus eſt in quoddam Forilivii oppidum, ubi notus quidam magiſter, brevi ac nova ratione, eas artes docebat, quibus ætas puerilis inſtitui ad humanitatem ſolet. At ipſe parentum, in ipſo erudiendo, negligentiam, diſcendi celeritate compenſavit. nam, cum eo eſſet profectus, omnium rerum rudis, paucis poſt, annis an menſibus? reverſus eſt Latini ſermonis adeo peritus ac doctus, ut diligentiam admirarentur omnes, ingenium agnoſcerent. at Commendonus adeo amplexus eſt hominem, ut eum nunquam à ſe dimiſerit, ſed in filii loco dilexerit,

ac,

ac, magiſtri partes ſumens, in libris Ariſtotelis de Rhetorica, de Repub. ac de moribus, erudierit, tum ſemper ad manus habuerit, ejuſque & fide & induſtria cognita, omnium conſiliorum eum eſſe participem voluerit, in illis octo nobiliſſimis legationibus, quibus functus eſt, quarumque immortalis erit memoria. quibus legationibus diligenter obeundis, ac fideliter adminiſtrandis, Commendonus ita ſe præbuit, ut eum omnes, tanquam è cælo delapſum, intuerentur. nam, ſi repetere memoriam temporum placeat jam inde uſque ab initio naſcentis Eccleſiæ, inveniemus, nullum unquam fuiſſe tempus Reip. Chriſtianæ atrox atque difficile, quin eodem tempore divinitus excitatus ſit aliquis, qui ingenio, auctoritate, ſapientia, arduis illis rebus ac dubiis poſſet occurrere: idque cum conſtet, tum ex antiquis tum ex recentibus noſtrorum monumentis ac literis, non eſt neceſſe pluribus verbis oſtendere. Atque, in Commendoni ætatem inciderunt hæc omnia, maxima atque graviſſima; Concilium Tridentinum, cujus convocandi gratia, bis miſſus eſt ad Ferdinandum Cæſarem, ſemel à Pio IV Pont. Max. iterum à Cardinalibus, qui ſacroſancto illi conventui præerant. tum, res in Polonia conſecutæ ſunt, implicatæ atque difficiles, unde magnus periculorum metus portendebatur: eo etiam profectus eſt, ſemel atque iterum; primo, Pii IV juſſu, ut Nuncii ordinarii provinciam adminiſtraret; quod munus cum egregie atque ſapienter obiret, antequam inde diſcederet, creatus eſt ab eodem Pont. Cardinalis: deinde coactus eſt rurſus illud iter arripere, miſſus à Pio V legatus ad Regem Auguſtum, ut, uxori Catharinæ nuncium remittere cogitantem, de ſententia dimoveret, & ad bellum Turcis inferendum impelleret. ubi etiam, cum Rex ille diem obiiſſet ſupremum, omnes conatus adhibuit, ut in ejus locum ſuccederet aliquis, qui catholicæ religionis cultor exiſteret; ac tantum auctoritate potuit, valuitque eloquentia, ut Henricus, Galliarum Regis frater, Rex Poloniæ, omnium ſuffragiis, eligeretur. Quibus actis, cum Pontifex feciſſet illi poteſtatem redeundi in Vrbem, rebus nondum plane in tranquillo collocatis, & hæreticis, quamcunque ſors obtu-

obtuliſſet rerum novarum occaſionem, paratis arripere, Antonium Mariam, de quo eſt ſermo, reliquit, ut, ex Pontificis auctoritate, Epiſcopos & Catholicos Regni confirmaret, novoque Regi adeſſet. quem cum adventare, jamque in Saxoniam perveniſſe, comperiſſet, ſexcentis ferme millibus paſſuum obviam illi proceſſit, &, quo loco, Regni res eſſent, expoſuit; rationes, quibus illud ex ſententia adminiſtrari, & Catholica fides promoveri poſſet, oſtendit. quæ ita Regi grata fuerunt, ut ea ſibi ſcripta tradi mandaverit, neque deinceps quidquam, niſi ex ejus auctoritate atque ſententia, geſſerit. Inciderunt etiam in Commendoni tempora, alia quatuor, maxima atque graviſſima: fides catholica, tota Germania, labefactata, ac pene convulſa; comitia Auguſtæ habenda; metus, ne Auguſtana Confeſſio, in ſummam Germanæ religionis perniciem, Auſtriæ civitatum populis permitteretur; fœdus adverſus Turcam inter Chriſtianos Principes ineundum. de his omnibus, quater intra paucos annos, miſſus eſt in Germaniam Legatus ad Maximilianum Cæſarem; qui etiam fuerat placandus, quod iniquo animo tuliſſet, Coſmo Mediceo, à Pio v, Magni Ducis cognomentum fuiſſe inditum; quod, ejuſmodi cognomentis & appellationibus quemquam afficere, ad Imperatorem, non autem ad Rom. Pontificem, pertinere contenderet. In his omnibus adfuit Antonius Maria; neque quidquam ſine ejus conſilio geſtum eſt. ſentiebat enim Commendonus, quantæ ſibi ejus opera eſſet utilitati ornamentoque. Neque id Regem Henricum fugit; qui magnis ad ſe illum pollicitationibus, ſemel, iterum, ac ſæpius, invitavit, ut ejus opera, quemadmodum expertus fuerat, egregia atque fideli uteretur. Sed nulla tam luculenta condicio inventa eſt, quæ illum potuerit à Cardinali Commendono divellere; cui ſoli, neque alteri cuipiam, quoad viveret, ſuas operas deberi exiſtimabat. Qui Cardinalis cum de referenda tot tantiſque illius in ſe meritis gratia cogitaret, ſi non pari, grato tamen aliquo munere; die quodam ad ſe vocatum donavit ſyngrapho, in quo erat perſcriptum, ut ab argentario, quatuor ſcutorum millia, numerata per-

perciperet, quæ vellet esse quasi mercedem laborum, quos pro ipso suscepisset; simulque petebat ab eo, ne hanc, quamvis exiguam, suæ in ipsum voluntatis significationem aspernaretur, sed illud, quidquid esset, æqui bonique consuleret. Cui Antonius Maria respondisse fertur; quidquid feciſſet, se honoris sui gratia feciſſe, verum, si res ad calculum revocaretur, bene inita subductaque ratione, non par inveniretur ratio acceptorum atq; datorum: nam, se multo illi plura debere profitebatur, quam ipse ab illo accepisset: illum vero dolorem se non posse dissimulare, quod cerneret, eorum se loco ac numero haberi, qui mercenariam ipsi operam darent: se enim, nihili antea hominem, ejus opera atque labore, factum esse alicujus precii, ipsique Reipub. inventum esse, in usu, probiorem. ac, petita ab eo demisse & humiliter venia, syngraphum conscidit. Admiratus Cardinalis magnitudinem animi, spernentis id, cujus alii cupiditate abrepti, fidem jurisjurandi, religionem, justitiam, bonam famam, existimationemque contemnunt, non ita multo post, locupletem Saxiferrati Abbatiam, ex qua bis mille scuta quotannis redibant, sibi detractam, est illi, quamvis invito ac repugnanti, elargitus. Mortuo Cardinali, Sixtus v usus eo est, in Latinis literis scribendis. quo in munere perquam diligentem ac laudabilem illi operam dedit. Post cujus mortem, eodem gradu fuit apud Alexandrum Cardinalem Montaltum, eique in tribus illis Conclavibus, quæ deinceps consecuta sunt, affuit; in ejusque opera, Clementi VIII, ad Pontificatum Max. adipiscendum, longe maximus usus fuit. Id quod Clemens non dissimulavit, sed sæpe, multis audientibus, dixit, se, Antonii Mariæ, in agendo, dexteritati, prudentiæ, diligentiæque Pontificatum referre acceptum. quapropter ornabat eum officiis beneficiisque pluribus: nam, & Episcopum Ameriæ creavit; quod superiori Episcopo mortuo esset alter, in illius locum, subrogandus; & Nuncium, ad omnes primum Christianos Principes, fœderis causa feriendi contra Turcas, deinde ad Remp. Venetam, misit. Vbi, maxime duabus in rebus gravissimis, ejus virtus eluxit. Etenim cum de jure imperioque quæreretur, quod Veneti in Adria-

Adriatico mari exercent, pro Sede Apoſtolica libellum elegantiſſimum ſcripſit, qui etiam nunc in tabulario Vaticani palatii continetur: neque tamen eo offenſi ſunt Veneti. cumque Alphonſo, Ferrariæ Duce, vita functo, Cæſar Eſtenſis, cognatione illi proximus, Ferrariam ſibi deberi, contenderet, auctoritate conſilioque perfecit, ne Senatus ille Cæſaris cauſam ſuſciperet, eamque armis tueretur; immo ab eodem obtinuit, ut Sedi Apoſtolicæ plura armorum genera, ad illius belli uſum, ſuppeditarentur. atque conſtat, Clementem habuiſſe in animo, in Cardinalium Collegium eum cooptare, ac non ſemel, ſed quoties Cardinalium comitia eſſent habenda, deſcriptum in illis habuiſſe, qui eo eſſent honore cohoneſtandi; ſed ſemper ſententia deſtitiſſe, deterritum à Petro Cardinali Aldobrandino, fratris filio, cui cum Magno Erruriæ Duce, cujus ille in imperio ac ditione erat, (nam Biturgiæ, ut diximus, ortus, quæ Magnorum Etruriæ Ducum paret imperio, cum primis illius civitatis numerabatur,) variæ, inquam, diſcordiarum cauſæ intercedebant. Verum, cum jam ætate confectus, & podagræ vehementer obnoxius, re ipſa experiretur, Venetum cœlum ſibi minus eſſe ſalubre, petiit opere maximo à ſummo Pont. ut ab ea provincia removeretur; ac, venia impetrata, Ameriam ſe contulit. quam Eccleſiam, uſque ad extremum vitæ ſpiritum, & integritatis, prudentiæ, ac ſanctitatis fama, adminiſtravit, quæ ſit nunquam interitura, ſed deinceps omnibus, qui in eundem locum ac numerum venerint, ad ſimilium virtutum exemplum imitationemq; victura. Nemini erat moleſtus, nemini gravis; ſed contra, omnibus jucundus, omnibus comis; nunquam animos extulit, ſed demiſſe humiliterque ſe geſſit; nemini petenti aditum conveniendi non dabat, ſed omnes ad ipſum aditus cunctis, qui vellent, quibuſvis erant horis aperti: nemo, ſe ab eo deſpectum, nemo, contra rem ſuam injuria aliquid decretum fuiſſe, queſtus eſt unquam; ſed omnibus jus ſuum tribuebat, omnes amplectebatur, omnibus ſe dabat, cum magna converſatione; cum triſtibus ſevere, cum remiſſis jucunde vivebat; atque, ad Apoſtoli exemplum, ad cujuſque ingenium, quo omnes lucri faceret, verſabat

ſuam

ſuam naturam, huc & illuc torquens ac flectens. Nullum honeſti ſermonis genus à ſe unquam alienum duxit, ſed de omnibus rebus, quæ in ſermonem diſceptationemque cadunt, copioſe eleganterque diſſerebat; cum militaribus hominibus de officio imperatoris, ac de omni re militari, cum eruditis de omni elegantia literarum, cum philoſophis de rerum natura, cum Theologis de Deo immortali diviniſque myſteriis, loquebatur. denique homo erat omnium, ut dicitur, horarum, temporum, atque hominum. Multa reliquit egregia, quæ teruntur hominum manibus; Synodum Eccleſiæ Amerinæ, de bello Cyprio, de caſibus adverſis illuſtrium virorum ſui ævi, Card. Commendoni vitam; quo libro omnes ab eo legationes obitæ, omneſque res magnæ, ſua auctoritate conſilioque geſtæ, narrantur. Obiit Ameriæ, annos natus quinque & ſeptuaginta, CIↃ IↃCXI.

LXIII. ALEXANDER MAGIUS.

FVit in Alexandro Magio, Bononiæ, nobili genere, nato, quemadmodum in quibuſdam laudandis viris, ſi non ſummum ingenium, attamen admirabilis erga literarum ſtudia ardor atque conatus; ac præſertim tantus erga omnes, qui aliqua ſapientiæ laude excellerent, amor atque propenſio, ut totum ſe illis daret, eorumque ſtudiis obſequeretur. ac præſertim Torquatum Taſſum ea complexus eſt benevolentia, ut, quotieſcunque, in congreſſibus litteratorum, orta eſſet quæſtio de Taſſo atque Arioſto, uter alteri anteponendus eſſet, pro Taſſo acriter vehementerque pugnaret, eique palmam dandam eſſe contenderet. Primis ætatis ſuæ annis, Fabium Albergatum, virum clariſſimum atque nobiliſſimum, cujus facultas, ex libris quos edidit, doctiſſime eruditiſſimeque ſcriptis, apparet, conſuetudine ſua ſic ſibi devinxit, ut alter ab altero dirimi diſtrahique non poſſet. Sed, cum ad omnium ingenuarum elegantiſſimarumque artium ſtudia ſe contuliſſet, præcipuam tamen operam, juris Cæſarei ac Pontificii ſcientiæ dedit.

dit. nam, etsi de humanissimis politissimisque literis, ac de omni re, quæ in disceptationem cadit, docte copioseque loqueretur; tamen, cum ad jus civile ventum erat, ita in differendo acutus, ita elegans, ita disertus, inveniebatur, ut hominum admirationes & studia commoveret. Et, cum, in Bononiensi ac Maceratensi Gymnasio, Iuris civilis publice docendi munus accepisset, multos annos magno illud cum plausu sustinuit. quo munere cum se tandem abdicasset, Romam ad capessendam Remp. venit, ejusque gerendæ initium à referendis Pontificis Max. supplicibus libellis, fecit. qui gradus honoris, accedentibus ad Remp. primus se offert. Erat Romæ eo tempore Bonifacius Cardinalis Bevilacqua, modicis quidem opibus, verum animo erga præclara ingenia, humanioribus præsertim literis exculta, ingenti ac prope regio. hic suam in domum Antistites aliquot, probos ac doctos viros, exceperat, quos egestas locum illum honoris, in quem venerant, pro illius dignitate, tueri non patiebatur. In iis Magius numerabatur, atque à Bevilacqua, præ ceteris, beneficiis ac muneribus ornabatur. nam cum ille, Perusium primum, tum Picenum, Legatus à summo Pont. missus fuisset, in utramque provinciam secum Magium Prolegatum adduxit, quem, ob egregiam juris civilis scientiam, parem illi muneri, ad quod elegerat, fore, atque ob fidem, quam in eo perspexerat, ipsius existimationi & famæ consulturum, non dubitabat. neque, in eo eligendo, Cardinalem spes, quam conceperat de illius fide ac doctrina, fefellit, sed illius expectationi peræque respondit. tum Fanum fortunæ solus regendum accepit: cui muneri, sui semper similis, magna abstinentiæ justitiæque cum laude præfuit. Reversus in Vrbem, relatus est in numerum ac cœtum illorum, quorum ea sunt partes, ut Ecclesiastici imperii civitates à moderatoribus illarum, recte atque ex publicæ utilitatis ratione administrentur; cui cœtui, Congregationi boni regiminis nomen est inditum. hoc quoque egregie, usque ad exitum vitæ, functus est munere. At totum illud tempus, quod à gravioribus ipsi curis supererat, libenter iis studiis dabat, quibus ab ineunte ætate deditus fuerat; pulcherrimis nimirum

rum elegantiſſimiſque literis illis, quæ, nobilia præſertim ingenia, ſua amœnitate ſuavitateque, ad ſe alliciunt ac rapiunt. Itaque ſæpiſſime in Academiis conſpiciebatur, aut doctiſſimis aliorum ſermonibus intereſſe, aut ſe aliis ad docendum dare, aut carmina, à ſe facta, in medium afferre, & exiſtimantium arbitrio judicioque ſummittere. quæ carmina, una cum aliis ejus operibus, Etruſco ſermone conſcriptis, ejus morte, ad fratrem pervenerunt, ac, domeſticis parietibus ſepta, aliquando in lucem proditura, ſervantur. Sed in Academia Humoriſtarum frequentior erat; in qua etiam principatum obtinuit. Atque ex tot animi ingeniique bonis, unum, ejus in corpore, vitium deprehendebatur; quod, altero crure captus, deformiter claudicabat. at hæc corporis claudicatio nihil plane animo detraxit: qui, ſemper excelſus erectuſque, in nulla virtutis parte claudicavit. Mortuus eſt domi Cardinalis Bevilacquæ, ut quidam ajunt, ex ſtranguria; ut alii, ex morbo, quem puduit medicis aperire; quamobrem à curatione deſertus, eum, nondum maturum, ad interitum dedit.

LXIV. BONIFACIVS VANNOZZIVS.

NOn ſemper accidit, ut claritas ac nobilitas animi, ſit generis ac ſanguinis nobilitatis ſplendoriſque comes; ſed altera ab altera, non raro, diſiungitur. Etenim ſæpe videas vilem & ignobilem in eo animum, qui ſit nobili genere ortus, contrà generoſum & clarum in eo, qui nullum à majoribus ſuis lumen acceperit. Atque, ſi alterutrum ſit optandum, malim equidem virtutem ſine fumoſis imaginibus, quam fumoſas imagines ſine virtute; quod illæ extrinſecus accidant, hæc animo intrinſecus hæreat; in illis nullam nos partem habeamus, hæc tota à nobis fere pariatur. Itaque, merito laudatur, multiſque nobilibus viris antefertur Bonifacius Vannozzius, Piſtorienſis, qui, cum honeſto quidem apud ſuos loco natus eſſet, ſed illa ſummæ nobilitatis laude non clareret, ita tamen virtutis ingeniique bono excelluit, ut, niſi fortunæ malignitas, quæ virtuti fere

ſemper obſiſtit, interceſſiſſet, ad ſummam fuiſſet amplitudinem perventurus. Hic, etiam tum juvenis, cum factus eſſet Gymnaſii Piſani Gymnaſiarcha, quo munus illud ſplendide magnificeque adminiſtraret, facta auctione, bona ſua, quæ non erant admodum exigua, præſenti pecunia divendidit. Quibus partibus egregie tranſactis, ad Principem Sulmonæ ſe contulit, eumque, tum proficiſcentem in Hiſpaniam, tum ab ea in Italiam redeuntem, eſt comitatus; deinde, ejus juſſu, in Sabaudiam profectus, ut ibi cujuſdam litis patrocinium ſuſciperet, (erat enim juriſconſultus in primis;) quæ lis, erat Principi, cum Regis Galliarum claſſis præfecto communis. deinde navavit operam ab epiſtolis, Cardinali Sfondrato, qui poſtea appellari maluit Cardinalis S. Cæciliæ, Gregorii XIV fratris filio. cui fideliter liberaliterque ſerviendo, ita Pontificis gratiam promeruerat, ut ab illo iis ſacerdotiis locupletatus ſit, unde ſcuta mille quotannis redibant; ac ſine dubio Cardinalis etiam honore cohoneſtatus fuiſſet, niſi quædam calamitas interveniſſet, quæ de tanta tamque explorata ſpe illum everteret. Statuerat omnino Pontifex, proximis comitiis, in Cardinalium eum ordinem cooptare; ac rem cum eo communicaverat: ſed ſimul egerat, ne ſua cuiquam conſilia faceret palam; volebat enim, ea eſſe clam omnes: atque ſerio propoſuerat, Principis arcanum, ſuæ fideī creditum, ita ſuo in pectore clauſum ac conſtructum habere, ut indidem ille ſalvum poſſet auferre, cum vellet; ſed propoſitum tenere non valuit, Cardinalis Sfondrati ſibi precibus imperioque ereptum; qui ardebat cupiditate incredibili, cognoſcendi eorum nomina, qui eſſent cooptandi. nolebat enim prætermitti amicum quendam, cordi ſuo cariſſimum. At Pontifex, ubi eum comperit tacere nequiſſe, cum maxime erat opus mutito, accerſitum ad ſe compulit, ex ſchedula, in qua candidatorum nomina erant deſcripta, ſua ipſius manu ſuum nomen delere, & illius ſubſtituere, pro quo Cardinalis laborabat. itaque ad fidem, quam prodiderat, vindicandam, non alius eſt carnifex, præter ipſum, adhibitus. Poſt mortem Pontificis, tranſiit ad Henricum Cardinalem Cajetanum, qui, miſſus ad Regem Poloniæ,

niæ, maximis de rebus legatus, eum ſemper habuit ab epiſtolis, & conſiliorum omnium arcanorumque participem. in qua legatione quanti fuerit ejus opera, appareret ex epiſtolis, quas, cum reverſus eſſet in patriam, in unum volumen collectas, ac miſcellanearum nomine appellatas, emiſit. nam ſæpius ab Henrico (qui, quanto ſibi ornamento eſſet, intelligebat,) miſſus eſt ad magnum Regni Cacellarium, qui exercitibus regiis præerat, & in Tranſſylvaniam, ut averſos Regis Poloniæ, & Andreæ Cardinalis Battorii, fratrum, animos componeret, ac litium diſcordiarumque inter ſe cauſas præcideret, atque convelleret. Interim Henricus, legatione ſua obita, reverſus eſt Romam, ſecumque Vannozzium duxit, ſuis item partibus functum; ac ſui eum juris eſſe permiſit. at, illi non licuit eſſe ocioſo: nam ſtatim à Coſmo II, Magno Etruriæ Duce, Florentiam eſt evocatus, ut Principi Franciſco, qui futurus erat Cardinalis, operam navaret: ſuo enim jure ſe repetere eum poſſe exiſtimabat, in quem, utpote ſibi ſubjectum, imperium & poteſtatem haberet, quandoquidem tanto alienis uſui utilitatique fuiſſet. tum, rurſus ad Vrbem ab eodem remiſſus eſt, quo, Franciſci loco (nam tum res ita poſcebat) Carolus frater Cardinalis renunciaretur. At verum eſt, quod dicitur, nullam eſſe ſapientiam tam magnam, tam puram, ad quam infuſcandam non aliquis ſtultitiæ rivulus influat. nam vir, tam prudens, tam doctus, in Magni Ducis aula, quædam inepte, & contra ſapientis gravitatem, admiſit; &, quod magis mireris, contra id, quod ipſe, in ſuis politicis & Chriſtianis præceptionibus, ſigillatim fugiendum eſſe docuerat. Ex quo licet intelligere, quanto ſit facilius, aliis recte præcipere, quam ſuis ipſum præceptis obtemperare. Solebat Dux ille magnus, ubi paululum volebat hilaritati ſe dare, Presbyterum quendam, Iulio nomine, hominem oppido ridiculum, ad ſe vocare, eumque paſtoritia fiſtula canentem audire, ac vini congium unico ſpiritu haurientem aſpicere. tum ille, nulla de cauſa, multis audientibus dixit, pluris fieri vini cadum vel utrem, quam honeſtos homines, ac literis deditos. quod cum ad Magnum Ducem eſſet perlatum, juſſus eſt ab aula recedere,

ac Piſtorium abire ; ubi præcepta illa Politica & Chriſtiana, de quibus ſupra commemoravimus, in tres libros diviſa, compoſuit, ac librum unum epiſtolarum miſcellanearum ad alios duos , quos antea ſcripſerat , addidit. quæ omnia , typis impreſſa , circumferuntur. Sed ibi ad alias longe majores ineptias recidit. Ducebatur in vincula famulus quidam ſuus ; hunc , per vim , contra jus faſque , è lictorum manibus abſtulit. Non eſt prætermittenda Principis illius gravitas ac moderatio. nulla graviori eum pœna affecit, quam ut Romam in exilium mitteret ; ubi à Cardin. Aquino, ejus amiciſſimo, exceptus , paulo poſt morbo periit.

LXV. FORTVNATVS SCACCHVS.

QVa tempeſtate , ſæva atque immanis lues toto Illyrico debacchabatur, adeo ut mortalium plurimos, Orci faucibus abſorbeudos vorandoſque committeret ; fiebat, ut non parum multi fuga ſibi conſulerent, atq; alios lares,alias civitates,alias urbes perſequerentur. In his Margarita quædam, Petruich cognomine, ex oppido Dalmatiæ Trau , una cum aliis multis , Anconam patria ſede commutavit. & , quoniam , inanis à marſupio, verebatur, ne vitam , quam ſalvam à peſtilentia retulerat , ad egeſtatis terminos redacta , fame deperderet, Equiti Iacobo Oliverii Scaccho, ex vetere claraque ejus civitatis familia , operas ſuas , pro ancilla, locavit, cum eſſet ætate integra , & forma non mala. Sed bonus ille conductor fecit id, quod occaſio ſuadebat, ætas hortabatur, libido cogebat , ut plus ab ea , quam quantum ſibi debebatur , exigeret , nec ancillares tantum operas quas conduxerat , verum eas etiam , quæ ſunt concubinæ, depoſceret. Itaque die quodam, fortaſſe plus potus, mulierem compreſſit , ex eoque complexu gravidam fecit. Sed id, quod natum eſſet, decreverunt, non tollere, ſed exponere. At expoſitum hoſpitalis domus Deiparæ Virginis Annunciatæ , miſericordia , excepit , & quinquennium aluit. quo exacto, parentes, quod fortaſſe facti

&ti eos ſui pœnitentia ſubiiſſet, pro ſuo agnitum, domum reduxerunt, & Fratrum Eremitarum S. Auguſtini habitu indutum, religioſæ illorum familiæ dicarunt, & F. Antonii Mariæ nomine appellarunt; cum antea illi, legitimæ prolis jus Pontificio diplomate obtinuiſſent, nempe ad perſonam & ad honores dumtaxat, non autem ad hereditates. Iam pueri res omnis eſſe in vado, jam ille in portu navigare videbatur; cum nova tempeſtas exorta, inde eum repulit, quo Favonius, vel ſi quis eſt alius illo liquidior ventus, antea detulerat; nova videlicet Sixti V. Pont. Max. conſtitutio, quæ omnes, ad Religioſorum ordinum familias iis aditus intercluſos eſſe jubebat, quibus, ex minus juſtis nuptiis naſci contigiſſet. Sed paulo poſt, ſedatis fluctibus, ſecundiore illi flatu vecto, Fani fortunæ, ad eandem familiam aditus patuit, Fratrique Fortunato nomen eſt inditum; fortaſſe quia fortunam, à qua oppidum illud nomen invenit, propitiam habuiſſet. Iam vero, quæ tanta dicendi vis eſt, quæ tamquam penicillus, diſertæ orationis ope, quaſi coloribus, incredibilem illam dicendi cupiditatem, quæ peracri ingenio hominem, & ſtudio flagranti, inceſſerat, poſſit exprimere? qua flagrabat ſic, ut vix in altero flagrantius ſtudium inveniretur. Ac primo, unus è multis, nullo-que apud ſuperiores numero, in funera vocatus cum aliis una prodire, publicis privatiſque ſupplicationibus intereſſe, horarias tum nocturnas tum diurnas preces, ceterorum choro inſertus, recitare, pſallere, menſis deſervire, interdum in culina, obſoniis partiendis, coquinandis, patinis aliiſque vaſis abſtergendis, dare operam coquo, denique alia omnia facere, quæ vulgarium communia ſunt fratrum. Sed, cum in hac ignobilis vitæ patientia aliquandiu perſeveraſſet, jamque diſcendi deſiderium, quo æſtuabat, ferre non poſſet, tandem magna vi, convocatis in auxilium amicis atque cognatis, expugnavit, ut Ariminum, ſtudiorum cauſa, mitteretur. ubi, non contentus ea eruditione, qua ibi ſe expoliri ſentiebat, quod ſibi erat conſcius, ſui ingenii vires longe majorem perpeti poſſe; ſtatuit, alibi eam exquirere, ejuſque comparandæ gratia, operæ, ſumtui, & labori non parcere, atque anno CIↃIↃXCIV Magiſtri

generalis comitiis, Romam ſe contulit, perfecitque, ut ſibi in Hiſpaniam proficiſci liceret. Verum, dum, majore animo quam viatico inſtructus, Barcinonem navigat, fit, ut, à pecunia deſtitutus, dum ſapientiæ famam quærit, in famem incurreret; à qua niſi confici vellet, neceſſe habuit coquum agere, ac vectoribus, quod ederent, coquere. Quis unquam exiſtimaſſet, per culinam, & coquinandi artem, eſſe iter ad ſapientiam? Navi egreſſus, terraque, quod reliquum erat itineris, peragens, majoribus etiam incommodis atque moleſtiis conflictatus eſt; adeo ut Toletum, mortuo quam vivo ſimilior, perveniret. Quæ res illi in bonum converſa eſt. nam Patres illi, hominis, ad extremum caſum adducti, aſpectu commoti, magis miſericordia quam alicujus ſuperioris imperio compulſi, in familiam eum ſuam receperunt; tum, ad Complutenſem academiam miſerunt, ubi exquiſiti tota Hiſpania magiſtri docebant; ibique nobiliſſimos omnium condiſcipulos habuit; in quibus Rodericus Borgia, nunc S. R. E. Cardinalis, numerabatur; quibus cũ una Philoſophicis ac Theologicis eſt diſciplinis eruditus. Quarum diſciplinarum curriculo, ſeptem annorũ ſpacio, ſtrenue gnaviterque confecto, voluit, Hiſpano more, in arenam deſcendere, cum viris doctiſſimis de eo, quod didicerat, triduo, tum mane tum veſperi, pugnaturus, eorumque, contra diſſerentium, argumentationum tela fortiter excipere atque repellere. idemque certamen, ex Hiſpania reverſus, inſtauravit in patria. Tradidit ſe deinde linguarum cognitioni: è quibus Hebraicam ita novit, ut in ea natus videretur. Sed Græcas literas, ut M. Cato, ſenex arripuit: nam videbam ego, qui Romæ iu eadem, qua ille, vicinia eram, Græculum, qui mercede docebat, quotidie ad eum venientem. Nec minorem, libris edendis, operam dedit; quibus, ut dicere ſolitus erat, nomen ſuum immortalitati commendaret. Nam Venetiis, anno c I ↄ I ↄ c I x, ſacrarum literarum librum, quem Biblia vocant, plures in linguas converſum, ac duobus voluminibus comprehenſum, & Paulo V Pont. Max. dicatum, edidit. Quo tempore, Zachariam & Hieronymum Condelmerios, nobiles Venetos, arcta ſibi familiaritate devin-

vinxit ; qui etiam ſuas illi operas polliciti ſunt , ut à Senatu illo , apud quem plurimum auctoritate & gratia valebant, Reip. Theologus, magno cum ſtipendio, ſubrogaretur in locum F. Pauli Servitæ , qui paulo ante è vita deceſſerat. ſed recuſavit ille , nec auſus eſt ei ſuccedere, qui tantum , ſuis ſcriptis , dediſſet Reip. Chriſtianæ damnum ac malum. Tum, annis quindecim,quibus , Vrbano VIII Pontificatus Maximi navis clavum tenente , Sacrario Pontificio præfuit , duo concinnavit volumina de ſacris unctionibus, unum,Sacrorum elæochriſmatum , alterum Sacrorum arcanorum titulo inſcriptum , utrunque varia atque admirabili eruditione refertum : ſed, dum parat ſe , ut duo alia volumina ad communem utilitatem in lucem proferat , coactus eſt , homo abundanti doctrina , ſtudioque flagranti , literis mandare rationem ac viam,quæ ſit ineunda , in Sanctorum numerum referendis iis , qui ſumma cum probitatis laude vixerunt. de quo argumento volumen unum docte eleganterque confecit ; nec potuit alterum , quod jam in fine laborabat,abſolvere,ſubito apoplexiæ morbo correptus , quæ tantam ejus capiti oculiſque calamitatem invexit, ut excogitandi eidem tum , & cernendi,facultatem ademerit ; quamvis , celeri medicorum ope, tum caput, tum oculi , ad ſuum munus præſtandum , ſint propemodum revocati. Emiſit item volumen unum concionum , quas variis temporibus ac locis ad populum habuerat : at , ne alterum prodiret in vulgus , fuit impedimento morbus ille , quem diximus. non enim erat magis doctus , quam eloquens ; ſed utraque in re plurimum præſtitit ; atque diſerta ejus vox , & eruditis auribus digna , in præcipuis Italiæ civitatibus audita , admirationes & plauſus ſibi confecit ; ac Bononiæ præſertim ita probata eſt , ut in ſolemnibus quibuſdam ſupplicationibus , cum excitandus eſſet aliquis , qui ad populum verba faceret,ex triginta magni nominis concionatoribus, ab ampliſſimo illo Senatu ſit electus , cui illæ partes demandarentur , & ob amœnitatem ingenii, qua florebat, dignus fuerit habitus, cui Comitis Aldobrandi opera, ipſi Senatui dicata, verum inchoata , ac nondum perfecta , abſolvenda ac perficienda traderentur ; cujuſ-

que opera, ad tradendam in eo Gymnaſio Theologiam, annua ducentorum aureorũ mercede conduceretur. Sed, nũ, quia poterat optime loqui ac ſcribere, in aliis docendis inſtituendiſque non ſatisfaciebat? at, hoc quoque in genere, laboravit, & excelluit. etenim Romæ ſacras literas interpretatus eſt; Maceratæ Theologiam, Patavii Hebraicas literas docuit; præterea, tum ibi, tum Peruſii, tum Recineti, diſcentium ſtudiis præfuit. Quid multa? nihil erat in ſtudiis literarum honeſtum ac pulcrum, ad quod ille maxima, à natura, adjumenta non haberet. Sed homo, ocii quietiſque in primis cupidus, quique nihil tam laborabat, quam ut æternam ſibi gloriam, ſcriptorum ſuorum fama, conficeret, ſecretum ſemper aliquem & remotum ab arbitris locum quærebat, ubi ſcriptioni operam daret. ac primum, Fanum feceſſit: verum, ibi adeo eum ocii portum, quem ſperaverat, non invenit, ut etiam varios ac ſævos inſectationum fluctus, maxima ex parte à ſe commotos ac concitatos, incurreret; quod in pravos atque corruptos totius Ordinis ac ſuorum moderatorum mores inveheret; quos fortaſſe corrigendos, emendandos, atque etiam gravi aliqua animadverſione coercendos diceret. atque hos fluctus facile, ſi quieſſet, evitare potuiſſet: ſed probum eum eſſe virum oportet, qui alios eſſe probiores, quam ipſe ſit, poſtulat. nam, quid eſt tam intolerandum, quam ab altero rationem vitæ repoſcere eum, qui non poſſit ſuæ reddere? Ac non poſtremum inſectationis illius, quam ille ſubiit, caput fuit nimia atque ſuſpecta mulierum conſuetudo, quibus erat addictus. neque novum faciebat: nam ego non paucos, cupidos literarum, hoc vitio cumulatos inveni, quos, ſicubi, cum ſtudiorum ac laborum ſatietas atque odium ceperat, ad mulieres videbam confugere, atque in illecebroſa earum ſuavitate illam expuere miſeriam ex animo. Qui omnes fluctus ſunt, Oliverii Scacchi, germani fratris, ſed ex juſta uxore nati, opera auxilioque, ſedati; qui tum in Vrbe, ſectator aulæ, morabatur: qui etiam, peſſime ab ipſo ſibi relatam eſſe gratiam, ajebat, utpote ingrato, ſuorumq; parum vel nihil ferme ſtudioſo. habebat enim hoc, ut, accepto beneficio, oblivioſus extemplo fieret, neque

neque mortalium quemquam, re, opera, aut commendatione ſua, juvaret. Ejus igitur inſectationis periculis, fratris ut diximus opera, functus, optione data, ubinam vellet eſſe, Ripam tranſonem elegit, locum, ſtudiorum ſuorum rationibus aptum. Sed Magiſtri generalis Comitiis anno CIↃIↃCXVIII Romæ habitis, fratris hortatu, Romam ſe contulit, ubi pro eo, quod ejus nomen magna erat apud omnes fama, ſummis eſt doctorum virorum omnium ſalutationibus & amplexibus exceptus, atque à Scipione Cobellutio S. Suſannæ Cardinali in clientelam ſuſceptus; qui doctis ſe viris deditum eſſe oſtendebat; cujus patrocinio confirmatus, invito Generali, qui alio eum deſtinaverat, ad ſacras literas interpretandas, Romæ permanſit. Sed Maphæo Barberino Cardinali jucundus fuit in primis; qui, quanti eum faceret, ſummus Pont. Vrbani VIII nomine, factus, oſtendit. nam Macerata, ubi ſacras literas docebat, juſſum evocari Romam, ſacrario ſuo Pontificio præfecit. cui muneri, annis quindecim, ut dictum eſt antea, præfuit, tenui & infirma corporis valetudine; cujus valetudinis adverſæ incommodum aëri Vaticano tribuens, habitavit fere ſemper in Cœnobio vel Deiparæ Virg. Tranſpontinæ, vel D. Honuphrii; ac poſtremo, in eodem clivo, ædibus, à ſe conductis; quod fortaſſe fuit cauſa, cur Pontifici minus gratus exiſteret, aut etiam inviſus propterea quod liberius de ipſo locutus fuiſſet; quo frequenter in genere, ſive naturæ vitio, ſive ingenua quadam animi libertate, peccabat. Itaq; cœpit enixe, aliquam laborum, quibus annis quindecim perfunctus eſſet, remunerationem efflagitare, ac dicere, ſe jam, exacta ætate, infirmiſſimaque valetudine, vix oneris, quod ferret, labori poſſe ſufficere. quod ubi intellectum eſt ab eo, qui jam diu omni erat cura & cogitatione intentus, ut occaſionem, ſi qua ſe daret, acciperet, qua popularem quendam ſuum, in eum honoris locum, attraheret, Pontificem certiorem facit, F. Fortunatum Scacchum ſe munere illo abdicaſſe. quod ſtatim delatum eſt ei, cui poſtulabatur. At nihil propius eſt factum, quam ut ille miſer, qui per hanc rationem fuerat eo honore everſus, ex ægritudine in morbum incideret; ac, pro amicitia

ac vicinitate, ſæpe mihi narravit, ſua verba aliter fuiſſe accepta, atque ipſe protuliſſet; nunquam enim ſibi fuiſſe in animo, de provincia illa decedere, ſed ſolum præſidii aliquid, quo, decurſo ætatis ſpacio, affecta præſertim valetudine, commode manere in ea poſſet, expetere. Sed, tempori cedens, inſigni bibliotheca, quam ſexies mille aureis comparaverat, pluribus divendita, profectus eſt Fanum, ibique, annos natus prope ſeptuaginta, deceſſit. Fuit firma corporis conſtitutione, commoda ſtatura, ſed quæ, apta compoſitione membrorum, oculos moveret; naſo, aliquantulum leonino ſimili, oculis vegetis hilaribuſque, fronte late diffuſa. cui calvitiei nonnihil erat adjunctum, colore candido, in lævi ac tenera cute.

LXVI. FRANCISCVS CONZAGA.

FRanciſcus Conzaga, Caroli Conzagæ, Gazoli domini, filius, & frater Scipionis Conzagæ Cardinalis, cujus imaginis claritas noſtram hanc Pinacothecam ſua luce luſtrat ac complet; annum agens decimum quintum, miſſus eſt à patre in aulam Philippi ſecundi Hiſpaniarum Regis, ut ibi inter honorarios ephebos eſſet, quos Hiſpanica lingua Meninos vocant. Vbi, pro ea pietate, quam una cum lacte parentis ſuxerat, adeo ſe aulæ mundique blandientis illecebris deliniri non eſt paſſus, ut non alias ipſum majus rerum fluxarum caducarumque odium & contemtus exceperit; uſque adeo, ut ab infeſto ſcopuloſoque aulæ mari, in quo ſatis feliciter navigabat, ad littus ſe receperit, ac, mutata velificatione, ad certum ſalutis portum, iter curſumque duxerit, atque in Franciſcanam familiam, eam videlicet, quæ arctius vitæ genus ſequitur, ac ſoccis pro calceis utitur, ſe aggregandum adſcribendumque curaverit. ibique tantos in literis progreſſus fecit, ut ad ipſum, tamquam ad ſacrarum diſciplinarum oraculum, adiretur; tum bonarum artium ſtudiis, tum literatorum hominum amore, Scipioni fratri non diſſimilis; quibus Scipio adeo deditus erat, ac Torquato Taſſo in primis addictus, ut, Patavii cum eſſet, eodem atque ille cubiculo,

culo, eadem menſa ac eodem poculo uteretur, &, quod eſt mirabilius, quodammodo eidem ad manum, ſcribæ loco, eſſe non dedignaretur : nam totum illius, Hieroſolymæ liberatæ, poëma, ſua manu, deſcripſit. Cum igitur P. Franciſcus, & vitæ innocentia, ac doctrinæ elegantia, ceteris ſpecimen eſſet, comitiis, Lutetiæ Pariſiorum habitis, florenti adhuc ætate, (nondum enim annum trigeſimum octavum exceſſerat,) electus eſt generalis, totius ſuæ familiæ, cuſtos. Quam provinciam, tanta cum integritatis, abſtinentiæ, caritatis, diligentiæque laude geſſit, ut vicerit gloriam ſuperiorum, ac nemo, ex minoribus natu, qui adhuc eidem muneri præfuerunt, cum illo æquare ac conferre ſe audeat. Nulla enim, tota Europa, domus religioſi ſui ordinis invenitur, vel tam exilis, vel tam ampla, quam ille non adierit, ejuſque collapſam aliqua ex parte diſciplinam non emendaverit, atque optimis ac ſanctiſſimis legibus inſtitutiſque non formaverit temperaveritque. ut hodie ſacer ille ordo, nullo fere negocio regatur, Franciſci inſtitutis ſervandis, & quaſi veſtigiis perſequendis. Verum, nihil ægrius eſt factum, quam, ne navim conſcenderet, Aſiaticum iter arriperet, Palæſtinam peragraret, atque ſingulas ibi ſedes, ubi ſui verſarentur, perluſtraret: ſed, ne id perficeret, quod conabatur, ſumma vi eſt inhibitus à Pontifice max. à quo unice diligebatur. implevit tamen atque edidit ingentem codicem, in quem multa retulit, ex ignorantiæ tenebris, quibus obruta jacebant, extracta; quæ omnia, ad ejus familiæ, cui ipſe præerat, profectum augendum amplificandumque, maximo eſſe uſui poſſent, ea eruditione, doctrina, ea rerum copia refertum, ut, in magna temporum ac rerum obſcuritate, quandam quaſi facem prætuliſſe videatur iis, qui, ſuis deinde auſpiciis, quinque maximis voluminibus, totius Franciſcanæ familiæ annales ſunt complexi. Ingentia igitur hominis merita, quæ novem annis, quibus arduam illam provinciam adminiſtraverat, mirandum in modum excreverant, additis etiam paternis, quod parens, in exercitibus Caroli Cæſaris, ordines duxerat, & una cum duobus filiis non ſine gloria militaverat, præterea bello Senenſi magnas equitum turmas

ducta-

ductaverat, eiſque præfuerat ; hic, inquam, tantus meritorum tum ipſius, tum parentis, cumulus, Philippi II Hiſpaniarum Regis ſtudia, ad eum inſigni aliquo ſacerdotio exornandum augendumque, commovit. Itaque Comiti de Olivares, ejus ad Pontificem oratori, mandatum dederat, ut, ſimul ac locupletis cujuſpiam Epiſcopatus, in Italia, occaſio ſe daret, ſuo nomine eum illi à Pont. committendum deferendumque curaret. Nec fuit illi, ad ſui mandata Regis exhaurienda, longum tempus expectandum. Etenim, non ita multo poſt, Caroli Borromæi Cardinalis, qui poſtea in Sanctorum numerum relatus eſt, morte, Mediolanenſis Eccleſia, ſuo paſtore ac ſponſo viduata, relinquitur. Longum eſſet, explicare verbis, quantam Sixto V Pont. voluptatem hæc Regis, de illo in demortui Cardinalis locum ſubrogando, voluntas objecerit. Nec mora ; evocatum illum ad ſe, regiæ hujus voluntatis participem fecit, & ſimul in ſpem maximam, ampliſſimæ Cardinalatus dignitatis ab ipſo conſequendæ, erexit. Quam ille ſpem non admiſit, ſed rejecit ; quod diceret, ſe non eſſe eo loco ac numero dignum, verum, in eum aptius recipi poſſe Scipionem fratrem, tunc Patriarcham Hieroſolymitanum; propterea ſe demiſſe atque humiliter petere, ut in Cardinalium comitiis illius rationem dignaretur habere. Quæ commendatio non omnino pondere caruit, ſed in primis ſuffragata eſt fratri, ad honorem illum adipiſcendum : nam brevi, ab eodem Pont. Cardinalis eſt factus. Quod vero ad Mediolanenſem Epiſcopatum attinet, diſertis verbis teſtificatus eſt, ſibi vires, tanto oneri pares, non eſſe. Quod Pont. non ſerio, ſed modeſtiæ ſcilicet cauſa, & inaniuin officiorum, ut mos eſt aulæ, dictum exiſtimans, fuit illi auctor, ut conſilio cogitationum ſuarum advocato, de re tota diligentius & accuratius deliberaret : ac paucos poſt dies revocatum eum interrogavit, quidnam conſilii cepiſſet ; ſibi enim eſſe decretum, Mediolanenſi eum Eccleſiæ præficere. Tum ille extraxit è gremio ſchedulam, ſua manu conſcriptam, in qua denunciabat, quidquid incommodi detrimentique, ex inepta imperitaque ipſius gubernandi ratione in Eccleſiam illam recidiſſet, fore, ut totum ipſi referretur acceptum ; ſe enim intelli-

intelligere, quam eſſet illud onus, fraterculi viribus, impar, qui tum primum è cellula pedem foras efferret: ſed, ne exiſtimaret, id à ſe, declinandi laboris cauſa fingi, aliam longe inferioris ordinis Eccleſiam afferret; nam tum, nullam ſe, ejus recuſandi, cauſam allaturum. Admiratus Pontifex magnitudinem animi, ſpernentis, quod alii ut adipiſcantur, manibus & pedibus obnixe omnia conantur, non ita multo poſt eum Cephaledis, quod eſt oppidum Siciliæ, creavit Epiſcopum. quam Eccleſiam ita quinquennium, quo illi præfuit, adminiſtravit, ut etiam nunc, incredibilis, paſtoralis ejus vigilantia, ardens ſalutis animarum ſtudium, abſtinentia, crebris ſermonibus, non à Cephaleditanis ſolum, ſed à Siculis pene omnibus, uſurpetur, & in magna apud eos laude verſetur. Quæ virtutes eo erant illuſtriores, quod à prudentia, ſine qua nulla eſt virtus, regebantur, & tanquam illuminabantur. Quarum virtutum fama, cum per omnes partes commeaſſet, ac fulgore ſuo cuncta compleſſet, ad Clementem VIII permanavit, ejuſque oculos mire perſtrinxit, ut etiam Romam venire eum juſſerit; ubi plura, de hominis ſanctitate, judicio, prudentiaque, ſuis ipſe oculis accepit, quam quantum ad eum fama ac rumor attulerat. quamobrem, cum intellexiſſet, quanto ſibi uſui in rebus Chriſtianæ Reip. arduis ac difficilibus, in ejus conſilio, opera prudentiaque fuiſſet, ſtatuit, optimum eſſe factu, ex Cephaleditana Eccleſia in Papienſem, eum transferre: multo enim latius atque utilius, tantam vim ingenii atque virtutis, in nobili atque ampla in primis Italiæ civitate, doctrinæ, eruditionis, & ſanctitatis ſuæ lumen diffuſuram, quam remoto neque ita magno Siciliæ in oppido concluſam atque contractam. Vix menſes octo interceſſerant ab eo die, quo, à Clemente, Papienſi eſt præfectus Eccleſiæ; cum à Vincentio Conzaga, Mantuæ Duce, ad Mantuanam poſtulatus eſt Sedem, quæ, vetere paſtore morte ſublato, alterum depoſcebat. Sed, quamvis Pontifici gratum eſſet in primis, talem Antiſtitem, ea ambitione, à viris principibus expeti, ille tamen ejus animo ſcrupulus inerat, quod alienum à bonis moribus eſſe putaret, quempiam ab una Eccleſia ad alteram ſine cauſa traducere,

cere. at voluit ex eo, quænam ejus, ea de re, animi ſententia eſſet, exquirere. qui, interrogatus, ea libertate, quam illi optimæ mentis conſcientia dabat, reſpondit, nunquam ſe Epiſcopalis muneris cupidum ſtudioſumque fuiſſe; proinde ſi cuperet, ſuo ſibi beneficio ipſum quam maxime obſtrictum habere, ad ſuam cellam & ad ſuos ſe quamprimum redire permitteret, deinde tum Papienſem tum Mantuanum Epiſcopatum iis committeret, qui majora, quam ipſe, à Deo atque à natura, nacti eſſent inſtrumenta, Eccleſiæ bene regendæ. Tanta hominis virtus, ac demiſſio animi, grata Pontifici max. fuit; ita tamen, ut ejus magis ſtudium incenderit, ad Epiſcopatum illi demandandum, quem repudiabat, atque ad deferendam eidem poſt paulo, extra ordinem, Apoſtolici Nuncii provinciam, ad Henricum quartum, Galliarum Regem, qui nuper ab hæreticarum partium, quarum ille anteſignanus fuerat, caſtris ad Catholicorum ſepta tranſierat, diſcordiis cum Hiſpaniarum Rege compoſitis atque ſedatis. Ac profectus eſt in Gallias, una cum Alexandro Mediceo Cardinali, qui poſtea in locum Clementis VIII electus eſt Pontifex, Leonis XI nomine. Sed triginta ſex illis menſibus, quibus eſt verſatus in Gallia, ita, generis claritate, multoque magis virtutum, quæ in eo elucebant, ſplendore, ejus ſibi Regis animum benevolentiamque devinxerat, ut non alter inveniretur, cui Rex ille eſſet addictior, cujuſque fidei magis conſilia ſua omnia crederet. quod malevoli quidam ſiniſtre interpretantes, materiam ac ſementem diſcordiarum inter ipſum & Cardinalem Legatum conati ſunt facere; quaſi nihil inter ipſos conveniret, ſed alter alteri ſuſpectus eſſet. at Legatus, cui Conzagæ animus, apertus ac ſimplex, notus erat atque perſpectus, ob hanc intimam Regis cum illo familiaritatem, ad eum magis magiſque diligendum, adigi ſe impellique ſentiebat; eoq; ardentiori in eum ſtudio ferebatur, quod, conſcius negociorum arcanorumque omnium, publicæ utilitatis cauſa ab eo fieri videbat, ut Rex ita cum ipſo de rebus omnibus communicaret. Neque id Legatus diſſimulavit; qui ſua confeſſione teſtatus eſt, arduum atque perplexum legationis illius negotium, ex intima Regis

cum

cum Nuncio amicitia, redditum fuiſſe expeditiſſimum planiſſimumque. quod etiam apertius, Pontifex factus, ſignificavit. vix enim in illud faſtigium receptus eſt, cum amantiſſimis eum literis, ſua manu exaratis, Romam arceſſivit; quarum literarum ſententia, ſive potius verba hæc erant: Quandoquidem laborum, quibus in Gallia premebamur, onere, pro tua virili parte, à te ſuſcepto, leve illud nobis eſt redditum, volumus, ut rebus noſtris ſecundis, pariter hîc Romæ, ubi te expectamus, nobiſcum una fruaris; quo te, prout meritus de nobis es, omni officiorum ornamentorumque, quibus poſſimus, genere proſequamur. His literis acceptis, ſtatim itineri ſe dedit. Sed, cum Senas veniſſet, eoque illi de Leonis Pontificis morte eſſet allatum, nihilo minus ſuſceptum proſecutus eſt iter Romam, ut ſacroſancta Apoſtolorum limina de more veneraretur. quo perfunctus officio, hilari ſolutoque animo, ſuam ad Eccleſiam ſeſe recepit. Sed, ut in Galliam, unde digreſſi ſumus, revertamur; habebat in animo Clemens, revertentem illum ex ea, in Cardinalium ordinem adſcribere, ſicut multis ſignificaverat: ſed quiddam accidit in Pannonia, inter Vincentium Mantuæ Ducem, & Ioannem Franciſcum Aldobrandinum, copiarum Pontificiarum imperatorem, quod eum de ſententia conſilioque deduxit. Ita plerunque contingit, ut Dei & Eccleſiæ res, feliciter procedentes, ab humanis & inanibus contentionibus, in medio curſu, frangantur, ac corruant. Neque tamen propterea de Pontificis in illum amore quidquam diminutum eſt, neque aliquid de opinione illa detractum, quam idem Pont. de illius fide, integritate, doctrinaque, ſuo in animo inſitam atque hærentem habebat. Etenim non ceſſabat, per literas, ſuo chirographo ſcriptas, de rebus eum graviſſimis, & ad Eccleſiam univerſam pertinentibus, ſæpe conſulere. Atque ille, unde hæc nos, literis tradita, accepimus, triginta & eo amplius ejuſmodi epiſtolas, ſeu brevia ut vocant, ſuis ſe oculis vidiſſe teſtatur, in quibus, præſertim ſuam ab eo ſententiam exquirebat, vel de divinis auxiliis, quæ tum quæſtio quotidianis fere diſputationibus ante ipſum agitabatur, vel de corruptis quorundam religio-

religioſorum ordinum moribus emendandis corrigendiſque. Incredibile memoratu eſt, quantam ille vigilantiam ad gregem ſuum cuſtodiendum adhiberet; à quo, tanquam in perpetua quadam vigilia manens, nuſquam oculos dejiciebat, quantam ſeveritatem, ad eundem in officio continendum, quem ardorem animi ad ipſum diligendum, afferret. ſingulis diebus feſtis, doctis ac diſertis concionibus, ad Chriſtianam eum pietatem erudire, ad vitia evellenda, & contrarias iis vitiis virtutes in ipſorum animis inſerendas, impellere, innumerabilem pene pecuniam, in pauperes cujuſvis generis, in Xenodochia, Noſocomia, & in religioſorum ordinum domos, tum privatim tum publice, diſtribuere, ac prope diffundere. Atque ad eleemoſynas quod attinet, elegans ac facetum quoddam ejus factum, nec prætereundum ſilentio, narratur. Carolus, Niverniæ Dux, qui poſtremis etiam temporibus Dux Mantuæ fuit, cum Mantuam veniſſet, (utpote qui ceteros ſuo ex ingenio æſtimaret,) quatuor illi venaticos canes muneri miſerat; quos hilari vultu accepit, eademque opera mandavit iis qui adduxerant, ut ſuis verbis Duci nunciarent, ſe propediem, una cum illo, eorundem ſagacitatis induſtriæque periculum eſſe facturum. Non ita multos poſt dies, invitat eum Dux, magno illuſtrium ac militarium virorum comitatu, ad venationem. promittit ille, non ſine ingenti totius populi admiratione; cui notum erat atque perſpectum, quantum Epiſcopus genus illud oblectamenti, tantopere à profeſſione ſua alienum, odiſſet. poſtridie mane, Dux adeſt una cum ſuis, ruris habitu atque ornatu; atque Epiſcopum, longis veſtibus, & ad talos uſque pertinentibus, videt indutum: miratur, ac, Quæſo, inquit, has veſtes depone, ac breviores ſume; nonne vides, quanto tibi hæ ſint impedimento futuræ, ad feras beſtias citato equo perſequendas, venabuloque feriendas? Cui ille, Hanc, inquit, mihi da veniam. ac pingui lautoque jentaculo large liberaliterque acceptum, in periſtylium eum amplum adduxit, pauperum plenum; quibus viritim nummos, ut quotidie ſolitus erat, ſua manu diviſit. tum, leviter arridens, Hæc eſt mea, ô Dux, inquit, venatio, hi lepores, hi apri, hæ damæ;

mæ ; quocirca , tuos tibi habe canes , quos vides ad eas venationes, in quibus mea fere vita consistit, nulli plane usui esse : ac pauperes , cum dimitteret , identidem admonebat , ut etiam atque etiam Deum , quo Duci esset propitius , orarent. Tum Dux , tantæ tam docti sanctique Antistitis virtutis exemplo, incredibili admiratione affectus, O si,inquit, omnes tui similes hoc venationum genere delectarentur , in eoque se exercerent ; neque in nostræ Galliæ , neque in Germaniæ , neque in Angliæ vitiis atque peccatis,ita homines offenderentur. Sed nec desunt plura, quæ de Francisco Conzaga referri merentur. Vincentius Dux , Francisci , Ferdinandi , & Vincentii pater , gloriatus fuerat apud suos , eum se adducturum , ut secum chartis luderet , vel ad aliquod aliud ludorum genus delaberetur atque descenderet. itaque jubens sibi chartas afferri, provocavit eum in aleam: sed negans ille, id à se ullo modo fieri posse, quod nullus ex illis chartis, ad usum veri Episcopi, liber confici posset ; se tamen , quo ipsi morem gereret , eo descensurum ait, ut unam cum ipso horam , latrunculorum ludo , traduceret. Dux condicionem accepit ; sed integra nondum hora abierat, cum ab eo , triginta aureis nummis est dirutus. quos Dux se illi domum missurum esse spopondit: at Franciscus , Nihil agis , inquit ; præsenti opus est pecunia ; nolo enim , tantum Principem mihi debitorem habere , cum quo , judicio , certare non liceat. eductoque , ex proximo ibidem atramentario , calamo, Ducem coëgit, ut scripto , eam statim pecuniam numerandam sibi, mandaret. qua accepta , Principe ipso præsente, in quandam religiosam ac pauperem domum, deferendam curavit , cum mandatis , ut Deus , pro Ducis salute , unde ea pecunia prodibat, exoraretur. In quem Ducem postea intuens , Si tibi molestum est, ait, tantam uno tempore pecuniam in pauperes erogare , ne tibi posthac veniat in mentem , me in ludum provocare. Quibus actis , magna suæ virtutis admiratione relicta , discessit à Duce. qui conversus ad suos , Nihil opus est, inquit, sanctos viros velle sibi ludos efficere. Iam vero, quis posset assequi oratione infinitos illos sumtus , quos in sacris Ædibus, in domibus piis ac religiosis, tum ve-

teribus inſtaurandis, tum novis exædificandis, faciebat? ut nullus ſit pauperum & calamitoſorum hominum ordo, cui non ille domum ac perfugium aliquod excitaverit, in quod, fortunæ fluctibus ejecti, tanquam in portum, ſeſe colligerent. videlicet, filiabus, à parentibus derelictis, mulieribus à flagitioſa vita ad honeſtam pudicamque converſis, orbis parentibus pueris, puelliſque male nuptis, mulieribus nobili genere natis, quas vel res male geſta, vel fortunæ ſævientis injuria, ad terminos egeſtatis impulerat, præterea Clericis ſeminarium, ubi alerentur, optimis moribus imbuerentur, & ſacros Eccleſiæ ritus edocerentur, exſtruxit. Sed, num, quia erat in ſacris Ædibus inſtaurandis ædificandiſque magnificus, in eiſdem exornandis locupletandiſque, parcus inveniebatur? At utroque in genere laboravit & præſtitit. atque, ut de ceteris ſileamus, in Eccleſia Cathedrali, quam magnificis ædificiis auxerat, argento, ſacris veſtibus, ac precioſa ſupellectile exornanda, ſeptuaginta aureorum millia, & eo amplius, effuderat; ſi tamen eſt effundere, quod in Dei immortalis cultu collocetur. Sed nullus erit finis, ſi ſit conſilium, omnia ejus, pietatis in Deum, liberalitatis in pauperes, caritatis in omnes, exempla proferre. Denique, dives meritis, dives virtutibus, ſua in Eccleſia, debitum naturæ reddidit; cum, in ipſo mortis articulo, omnia ea mala prædixiſſet, quæ poſtea civitati illi inciderunt; ut propterea diceret, ſe maximas Deo gratias agere, quod non erepta ſibi ab illo vita, ſed opportune donata mors eſſet, ne tanta oculis, quæ poſtea ventura eſſent, mala conciperet. Obiit igitur, non ſine maxima ſanctitatis opinione. multa enim occurrerunt, quæ ſupra naturæ vires exiſtimantur ab Epiſcopo Doneſmundo, ex eadem qua ille erat Franciſcana familia, relata in ejus vitam, quam edidit. quæ, apotheioſis ejuſdem gratia, à teſtibus interrogatis ac juratis excepta, in publicas tabulas, ſeu inſtrumenta, conferri cœpta erant; ſed, ne opus perficeretur, belli calamitas obſtitit, quæ Mantuæ civitatem afflixit. Theologicæ ejus diſputationes, una cum concionibus, ubi aſſerventur, ambigitur; utrum apud Principem Bozzoli, fratris ejus filium, an in Bibliotheca Terræ S. Martini, quæ

quæ Principis illius paret imperio: quam bibliothecam, eo in loco, ſibi ipſe exſtruxerat eo animo, ut ibi, quod reliquum eſſet vitæ, conficeret; ſed, factus Epiſcopus, animum ab ea cogitatione abducere, & ad alia conſilia eſt transferre compulſus.

LXVII. AVRELIVS CHISIVS.

CLariſſima Senarum civitas, non modo nulli Italiæ, quæ quidem feratur in primis, belli paciſque artibus cedit, ſed neque virorum, quos virtutum maximarum merita evocarunt in cælum, numero inferior exiſtit. Atque inſignium, doctrinæ & eruditionis laude, civium plurimorum, qui mea ætate, communi naturæ fato extincti, æternam nominis ſui famam reliquerunt, imagines, tenui noſtro ſtylo, quaſi penicillo, deſcripſimus, & huic alteri Pinacothecæ commendavimus; quarum imaginum tam magnus eſt numerus, ut non minimam ejus, ut ita dicam, parietum partem veſtiat atque exornet. Eos vero, qui ad ſummam ſanctitatem, dum viverent, efloruerunt, non ſum adumbrare conatus; quoniam totum hoc integrum reſervabam ad eum librum, in quo cogitabam laudabiles eorum mores exprimere, qui noſtro hoc ævo habiti eſſent omnium ſanctiſſimi. Sed, in Aurelio Chiſio, hoc me quaſi legitimum tempus expectare non ſinunt eximia Fabii Chiſii, ex cujus ſtirpe hoc tam fulgens ſanctitatis lumen emerſit, merita atque virtutes; qui nunc Sedis Apoſtolicæ apud Vbios Nuncius, ac Monaſterii in Weſtphalia, Sedis ejuſdem nomine, communis pacis conciliandæ cauſa, interpres atque auctor, magnum præbet ſpecimen animi, ingenii, conſiliique ſui. Neque ingratum id illi fore exiſtimo, ſi inter eos, qui, humanæ doctrinæ præſtantia, magni & clari habentur, cognati unius, cæleſti ſapientia referti, imaginem collocemus; ut, quoties in eam intueatur, & præclariſſimis domeſticæ virtutis exemplis gaudeat, & ab ejus ſimilitudine abſtractum ſe non fuiſſe lætetur. Aurelius igitur,

natus eſt Senis, ex Auguſtino Chiſio, & Olympia Bulgarina, optimis ac nobiliſſimis parentibus, anno CIↃIↃLXVI. Non fuit in puero, nec docilitas ingenii nec ſuavitas morum: in adoleſcentia, etiam libertas & vivendi licentia notabatur. Sed, annum agens undevigeſimum, dexteræ excelſi opera, ineuntis adoleſcentiæ vitia magnis virtutibus emendavit atque correxit; tanta animi alacritate, ut Spiritui Sancto, novum in ipſo opus inſtituenti, repugnare non ſit auſus, ſed totum ſe eidem reficiendum, expoliendum, inſtaurandumque permiſerit. Et, quod magis miremur, novum vitæ genus, ejuſdem Sancti Spiritus impulſu, horridum, ſævum, atrox, ſuſcepturus, non ejus ineundi rationem, à religioſorum ordinum familiis, & in eorum domibus, eſſe petendam exiſtimavit, ſed in privatis etiam ædibus poſſe illam inveniri putavit. tum, in rerum cæleſtium cogitatione totum ſe collocaturus, non in loca ſola atque deſerta confugiendum ſtatuit, ſed in urbium frequentia, in foris, in hominum ſtrepitu, ſecretum ſibi unumquemq; poſſe facere duxit, ubi in acri atq; attenta Dei meditatione defixus, omnes alias cogitationes à ſe rejiceret, atque repelleret. Itaque in ſua civitate ætatem agens, in immenſis cæli regionibus, inter cœleſtis patriæ cives, mente animoque peregrinabatur; populares inter ſuos poſitus, longiſſimo ab illis intervallo diſtabat; intra domeſticos ſuos parietes clauſus, latiſſima cæli ſpacia emetiebatur. Erat illi, ſomni loco vigilia, pro precioſa ac divite veſte rudis atque horridus ſaccus, pro eſca atque potione jejunium, pro corporis oblectamentis flagella, atque aliæ ejuſmodi pœnæ, ultro ſuſceptæ, quibus in ſe acriter vehementerque ſæviebat; riſus locum ac ſedem vis lacrimarum, quæ perpetuo eidem ab oculis decurrebant, occupaverat, adeo ut, quemadmodum de principe Apoſtolorum Petro traditum memoriæ ac literis eſt, velut ſulci quidam in malis conſpicerentur, unde in pectus, quod madidum ſemper geſtabat, lacrimarum rivi defluerent. Iam vero, ubi ad ſacra Chriſti corporis myſteria ſumenda ventum erat, tum licebat videre, quantum ille fletui obſequeretur, quantum lacrimis indulgeret; quarum ea erat copia, ut non

genas

genas tantum rigaret, non pectus ſolum laveret, ſed, in terram decidens, pavimentum ipſum Eccleſię madefaceret: adeo ut ſæpe ædituus, rationis totius ignarus, vereretur, ne lychnus aliquis vitreus, ex iis qui ejus orantis capiti impendebant, effractus, illam vim aquæ dediſſet. Erat in primis cupidus, Societati Ieſu nomen dandi, quod ea (abſit verbo invidia,) magis fere quam reliquæ Religioſorum ordinum familiæ, iis, quas ſibi ipſi præſcripſit, legibus pareat: ſed ab eadem excludebatur, quod eſſet humaniorum literarum funditus expers; quibus ſaltem imbutos eos eſſe oporteat, qui initiari ſacris eccleſiaſticis volunt. Quæ fuit cauſa, ut Pataviũ proficiſceretur, quo ocioſius & utilius daret operam literis. ſed fiebat, ut, ſimul ac Grammatici cujuſpiam librum in manus ſumeret, adeo à capitis dolore invaderetur, ut haberet neceſſe, illum abjicere; cum autem ad orandi ſtudium ſe reciperet, ſtatim dolor ille conſiſteret, nec auderet progredi longius. Itaque, Dei voluntate perſpecta, cum, annum integrum, inanem illam operam ſumſiſſet, reverſus eſt in patriam; ubi, à Præpoſito Societatis ejuſdem, maximo opere petiit, ut, quoniam omnis ſibi, ad ſacerdotes perveniendi, aditus eſſet obſtructus, ſaltem ad fratres, ſeu coadjutores Societatis, ut vocant, tranſeundi poteſtas fieret. Quod etiam, juſtis de cauſis, impetrare non potuit. Sed quoniam, nullum veræ ſanctitatis ædificium recte conſtitui, neque tolli altius poteſt, niſi humilitate nitatur; ſummum, in jaciendis humilitatis fundamentis, ſtudium adhibuit, atque operæ non pepercit ſuæ. Itaque humum fodere, cubicula everrere, parietibus operas araneārum dejicere, ut ædes niterent efficere, aquam urnæ ingerere, ac plenam per vicos plateaſque deferre, ſua palam vitia detegere, nunquam, ſe accuſandi, finem facere. Audierat à Franciſco Vannino, pictore in primis, formæ imaginem ſuæ, quam maxime ad ſimilitudinem veri, expreſſam fuiſſe coloribus: oravit, ut eam liceret aſpicere, ac, facta poteſtate, plures eam ſcidit in partes. Injuriarum, in quibus æquo animo perferendis, veræ perfectæque humilitatis ſpecimen editur, adeo patiens fuit, ut, publice læſus, ac ludibrio habitus,

omnibus lætitiis inceſſerit. Verum, ejus patientiæ precium non exiguum tulit. nam eum, à quo tam inſignem contumeliam acceperat, tanta repente pœnitentia ſubiit, ut, ſacco indutus, ac funè præcinctus, palam per urbem inceſſerit, atque peccati ſui veniam expoſcens, quod auſus eſſet tantam homini ſanctiſſimo contumeliam, per ſummam injuriam, inferre, contumaciæ ſuæ voluntarias pœnas dederit. Tantis igitur humilitatis patientiæque radicibus poſitis, quid mirum, ſi ea in Deum & in homines caritas, quæ inde prodit, tam alte ſuccreverit? Primum, piam ac religioſam domum, quam vulgus Derelictarum appellat, ab Hieronymo Benvogliente, I. C. eximio, inchoatam, ad abſolutionem perfectionemque perduxit: in quam plures, facie honeſta puellas coëgit, ne inopia & egeſtate coactæ, quæſtum occiperent, ac Dei in ſe templum violarent; perfecitque, ne quid illis ad neceſſarium vitæ uſum deeſſet. Deinde, quum dolore, quantum maximum animo capere poterat, afficeretur, ex miſera & indigna virginum quarundam calamitate, quas cum generis claritas, majorum amplitudo ac dignitas, ab aliarum numero abſtraxiſſet, egeſtas tamen ad infimæ ſortis hominum condicionem ſordeſque compelleret; dedit operam, quantum potuit, neque ulla alia in re impenſius elaboravit, ut inſignis domus aliqua excitaretur, quæ, adverſæ fortunæ fluctibus, jactatis, quaſi perfugium ac portus exiſteret, atque Refugii eam nomine appellavit. quam domum de integro, coëmtis in ea vicinia ædibus pluribus ac dirutis, à fundamentis erexit; ſacellum, in quo res divina fieret, conſtituit; ſignis, tabulis pictis, ac precioſa ſupellectile, inſtruxit ornavitque: tum, prædia coëmit, ex quibus tantum quotannis rediret, quantum ſatis eſſet, ad veſtes illis comparandas, ad panem præbendum, ad vinum obſoniumque tradendum. eas poſtremo omnium bonorum ſuorum heredes inſtituit. Atque in his omnibus, conſtat, triginta aureorum millia fuiſſe conſumta. Sed, quod incredibilem ejus animi magnitudinem, & humanæ gloriolæ contemtum, mire declarat, tam amplo excelſoque ædificio ſuum nomen inſcribi non eſt paſſus: tantum,

poſt

poſt ejus mortem, multis illæ virgines precibus impetrarunt, ut in lapide, quo ejus ſepulcrum tegebatur, quæ & quanta ejuſdem eſſent in piam illam domum merita, grandioribus literis inſculpta legerentur. Ibi enim, anno CIↃ IↃ CXI, morbo conſumtus, annum agens quintum & quadrageſimum, eſt humatus. Sed præcipuam habuit ſervatæ caſtitatis laudem. nam, cum in aſſidua atque perpetua illarum virginum cuſtodia vigiliaque maneret, cum auctoritate, conſilio, re, atque opera, omnibus horis, præſto illis, tum ægrotis, tum bene valentibus, eſſet, ut etiam fœtidam ægrotantis cujuſdam virginis ſaniem, quam evomebat, ſibi ſit in os conatus ingerere; cum, inquam, tam frequenti virginum illarum conſuetudine uteretur, adeo tamen ſecunda inter ipſas caſtitatis fama verſatus eſt, ut nullam unquam cuiquam, ejus minus honeſte habitæ, ſuſpicionem aperuerit. quod etiam Patrum Societatis Ieſu, qui, quinque & viginti annos, ejus confeſſiones audierunt, teſtimonio confirmatur. ajunt enim, toto hoc tempore, nulla ejus animum, impuræ cujuſpiam cogitationis, vi impetuque fuiſſe oppugnatum verberatumque: ut etiam in eo, vetus ſanctiſſimi Patriarchæ Ioſephi caſtitatis exemplum, longo intervallo, ſit renovatum. etenim, impuræ cujuſdam meritricis, quam à flagitio revocare conabatur, amplexibus, ſeſe fuga expedivit, relicto pallio, quod illa è feneſtra in viam ejecit.

LXVIII. LORETVS VICTORIVS.

MIrum nemini videri debeat, ſi, tot præſtantiſſimis hominibus mortuis, vivi unius imaginem inſeramus. ea enim eſt hominis, in ſuo genere, virtus atque præſtantia, ejuſmodi mea, in illo exornando exprimendoque, cupiditas, ut ad eam explendam, ſi ſit expectandum, dum eo iter arripiat, quo ii, quorum imagines noſtra hac Pinacotheca continentur, abierunt, millies me antea, tanto illo majorem, mors opprimere poſſit, quam ille vitæ ſuæ ſpacii metam aſpiciat. quamvis, in

eam ſedem, ad quam iter eſt omnibus, receptus, poſſe videatur ſuam, & alterius, quem dilexerit, vitam ab Orco, ſuo cantu, redimere; quemadmodum de Orpheo & Eurydice narratur. cujus ille, ſuperioribus annis, non nihil ſimile, ſi vera eſt fama, perfecit, qui ſuam Eurydicem quandam, in tenebris, ex Cerberi tricipitis, nempe cognatorum cuſtodiis, quibus ille verba dedit, eripuit. Sed fecit ſapientius, quam vetus ille Orpheus. non enim flexit retro ſua lumina, ut ille; ſed ſemper, quæ ante ipſum erant, aſpiciens, tutus, quo voluit, evolavit una cum illa; non, ut ſuam ex ea, ut falſo quidam ſuſpicantur, voluptatem expleret, ſed, quemadmodum ipſe in quadam ad me epiſtola affirmat, quo illius pudicitiam, ab adoleſcentis cujuſdam inſidiis, præſtaret incolumem. Natus eſt Spoleti, magis ingenii virtutiſque bono, quam generis claritate, præclarus ac nobilis; atque admodum puer, voculæ ſuavitate, ac docilitate ingenii, ſectus eſt, & in muſicis eruditus, ab exquiſitis tota Italia magiſtris. A Coſmo, Magno Etruriæ Duce, ſimul auditus & probatus eſt, & ab Octavio Donio Florentino, qui illuc eum perduxerat, acceptus, magno in precio habitus, ac domi ſuæ innutritus. ubi deinde, tum ſua tum magiſtrorum diligentia, tantos profectus fecit, ut ſcenicis in ludis, qui ſæpe Florentiæ magnificentiſſimi dabantur, in ſcenam productus, primarum ſemper partium actor, tantum commendationis habuerit, ut apud omnes gentes, ubi aliquis muſicæ arti honor habetur, celebre ejus nomen & clarum exiſteret. Cujus vocis eximiæ cantus, cum Ludovici Cardinalis Ludoviſii, Gregorii xv fratris filii, perveniſſet ad aures, per eas illi in animum commeans, maximum, ad intima cordis ejuſdem cubilia, ſui deſiderium invexit: in qua cupiditate adeo fuit intemperans, ut non antea quieverit, quam ſummis eum precibus, à Magno Duce, in beneficio & gratia, impetrarit. cujus precibus Magnus Dux non potuit obſiſtere; quod tum ille, Romæ, rerum potiebatur. Sed Ludoviſius tam alte hominis precium extulerat, ut non cuivis ejus audiendi faceret poteſtatem, ſed iis tantum, qui æquabilitatem communis condicionis, præſtantia dignitatis aut fortunæ ſuæ, tranſirent; quod,

eam

eam vocis cantuſq; ſuavitatem, vulgarium non eſſe aurium pabulum, exiſtimaret. Quæ res magnum illi convertebatur in bonum. nam viri illi principes, quo, magno ſe beneficio à Cardinali eſſe affectos, oſtenderent, large in eum dona ingerebant; ex quibus, ad eos nummos, in quibus nunc eſt, brevi pervenit. Sed interdum Romæ, per hyemem, in ſacello Patrum Congregationis Oratorii exaudiebatur. Vbi eum ego, nocte quadam, Magdalenæ, ſua deflentis crimina, ſeq; ad Chriſti pedes abjicientis, querimoniam, canentem audivi: qui, eo ardore animi, ea vi vocis, iis tam mollibus tamq; delicatis in cantu flexionibus, Magdalenam noſtris pene oculis ſubjiciebat, ut, ſi revixiſſet, in illa ejus, pœnitentiæ ipſius, imitatione ſuos veros luctus doloreſq; agnoviſſet atque admirata eſſet. At neminem eorum, qui aderant, arbitror fuiſſe tam leni animo, tamque remiſſo, qui non ad eos motus ſe perduci ſentiret, ad quos ab illo impellebatur; nimirum, ad fletum, ad iram, ad odium peccatorum. neſcio alios; me quidem, ſcio, acriter vehementerque in delicta mea exarſiſſe, cum ille Magdalenæ perſonæ actor, præteritæ illius vitæ crimina exſecraretur, propter quæ in tantam Dei atque hominum offenſionem incurriſſet; ſenſi, mihi ubertim lacrimas ab oculis ire, cum ille flentis peccatricis gemitus, voce ad miſerabilem ſonum inflexa, repræſentaret; ſenſi, me ad incredibilem admirationem efferri, cum, vocem à graviſſimo ad acutiſſimum ſonum gradatim impellens, eandemque ab acutiſſimo ad graviſſimum, per varios anfractus, volubilitate incredibili colligens, ſe poſſe eam oſtenderet, ſicut molliſſimam ceram, quocunque vellet, contorquere ac flectere. Quid opus eſt verbis? nullus erat animi motus, ad quem ab illo, ut ita dicam, abreptus, non continuo formarer ac fingerer. At, quo artificio, qua venuſtate, quo lepore, id totum ab illo fiebat? Profecto, ars certare cum natura videbatur, utra majorem in eo vim ac dominatum haberet. Equidem, memoria repetens cantores omnes, quos ad hunc diem audire, longæ mihi vitæ curſus attribuit, ſic ſtatuo; nemini eorum, quos, in hoc genere, præſtantiſſimos abſolutiſſimoſque, erudita veterum Græcorum Romanorumque natio ja-

ctat, tam multa, vel à natura vel ab arte, conceſſa fuiſſe, quam multa in hunc unum congeſta miramur; magnum ingenium, miram ad poëſin indolem; nam Sanctarum Irenæ & Galateæ dramata elegantiſſima edidit; non vulgarem, in faciendis modis, eruditionem; qui, Ignatium Lojolam, Romæ in Æde nominis Ieſu, ejuſdem Societatis, regio apparatu datum, modulatus eſt egregie; vocem ſuavem ac ſplendidam,& ad quamcunque varietatem & commutationem efficiendam aptiſſimam, quæ, ut in fidibus chordæ, ad quemcunq; tactum reſpondeat, acuta, gravis, cita, tarda, magna, tenuis; acre in canendo judicium, atque artificem rationem: quo fit, ut ſuum, cuique animi motui, vocis genus adhibeat, neque præpoſtere agat, ut multi, à quibus vox non arte ac moderatione tractatur, qui hilares ac jucundas res triſte, triſtes hilare, vehementes remiſſe, graves ludibunde, iracundas lente, ad nos, per vias ab auribus ad animum perforatas, inducunt. quamquam in hoc eſt eorum culpa nonnulla, qui carmini modos fecerunt, quos non apte ad illius ſententiam accommodaverunt. Ille vero, à natura atque ab optimorum magiſtrorum præceptis edoctus, ſi iracunda perturbati hominis vox & oratio cantu ſit exprimenda, vocis genus ſumit acutum, incitatum, crebro incidens; ſi miſeratio ac mœror explicandus, flexibile, plenum, interruptum, flebili voce; ſi metus referendus, demiſſum, hæſitans, abjectum; ſi truculenti vis hominis tradenda, contentum, vehemens, imminens; ſi exhilarati voluptas animi anteponenda, effuſum, lene, tenerum, hilaratum ac remiſſum; ſi ægritudine aliqua oppreſſi moleſtia ſignificanda, ſine commiſeratione grave quiddam, & uno preſſu ac ſono obductum adhibet. Hæc, à L. Craſſo aliiſque ſummis doctoribus relata, felicius, in illius modulate canentis voce, quam in eorum libris, impreſſa cernuntur. Quod autem ita ſcienter in cantu, ad quemcunque velit animi affectum exprimendum, ſe formet ac fingat, à natura conſecutus eſt; unde habet, ut, in communi vitæ conſuetudine, ad eos omnes motus acriter vehementerque impellatur. nam ſi dat ſe hilaritati, in maximos repente riſus effunditur; ſi triſtitiæ, demittit animum; ſi iracundiæ,

cundiæ, ita ſe ab ea abripi ſinit, ut ad clamores, ad jurgia, ad contumelias, & interdum etiam ad verberationes, labatur atque deveniat; adeo ut vix ab iis manus abſtinuiſſe dicatur, quos nefas eſt tangere. eadem eſt ratio ſpei, miſericordiæ, aliarumque animi perturbationum: in quarum ſingulas nimis ille quidem eſt vehemens. Quid illa ejus, in qua mihi deus videri ſolet, in voce claritas, & in lingua, explanata vocum impreſſio, quantam attentionem benevolentiamque conciliat! eſt enim in magna cantoris laude ponendum, verba, ſyllabas, literas omnes exprimere, non putide, ſed accurate, & cum quodam, ſine moleſtia, diligenti ſpiritus ſono ac vocis; idque non tam, ſua ſponte, laudabile eſt, quam, quod eſt à pleriſque neglectum. etenim, non tam præclarum eſt, pronunciationi diſtinctæ atque dilucidæ operam dare, quam flagitioſum, id ſpernere. Novi ego non neminem ex iis, qui ad ſummam recte eleganterque canendi laudem efflorеſcerent, ultimas præſertim ſyllabas, ſive negligentia, ſive prava conſuetudine, ita obſcurare, ut, quid dicerent, quamvis admodum attenderem, non intelligerem; quod non, tam vocem foras emittere, quam intra fauces impellere, non tam in lucem edere, quam tenebris involutam, anteaquam lucem aſpiceret, enecare viderentur: quamobrem illud aſſequebantur, ut, qui audirent, deſperantes, poſſe ex illis tenebris, lucis quidquam, ad ipſorum intelligentiam illuminandam, exiſtere, vel aliud agerent, vel oſcitarentur, vel dormitarent, vel cum vicinis capita conferrent, ac de cœna loquerentur. At vero, illo canere incipiente, omnes alacres & erecti conſiſtunt, ſermones, quos inſtituerant, dirimunt, animam continent, ne, crebro reſpirantes, ſibi quodammodo obſtrepere videantur; tum, cantu ejuſdem mirabiliter deliniti, nullis ab eo faſtidiis abalienantur, nulla aurium ſatietate defatigati diſcedunt, ſed ab eo, tanquam capti alligatique, continentur. Fabuloſis poëtarum carminibus traditur, ad Amphionis lyræ cantum, Thebarum arcem muroſque fuiſſe ſubſtructos. ridicule, ſi ad lapides & latera, quibus muri conſtabant, referatur: verum, ſi in cœmentis, rudia hominum ingenia, quovis interdum ſaxo ſtupidiora, intelligan-

relligantur, in hoc lepido tam elegantis fabulæ mendacio non inelegans veritatis ratio incluſa invenietur; nimirum, nulla re alia, niſi ſuavi docti cujuſpiam oratione, ex agreſti immanique vita, nos ad humanitatem excultos exædificatoſque fuiſſe, vel potius mutuæ caritatis amplexu, quovis muro firmiore, unum in locum coactos, atque occluſos. Sed, quid hæc, inquies, ad Loretum narratio ſpectat? Multum ſane. non enim ita Amphion diſperſos & agreſtes homines, lyra, ad Thebanum oppidum conflandum, quaſi lapides ac lateres, elaboratos atque expolitos attraxit, ut ille ſuæ vocis ſuaviſſimæ cantu voluntates ad ſe hominum allicit, eorumque benevolentia, quæ, pluſquam centuplex murus, ſervandis hominibus prodeſt, ſe munitione quadam & vallo circumdat. Quot ego homines novi, ad hæc ſtudia duriores, ad dulciſſimos ejus cantus commoveri, emolliri, ac flecti! quot, præ nimia voluptate geſtientes, quod ad eam continendam anguſti eſſent unius pectoris fines, ſibi tunicam à pectore diloricare, quaſi eidem, ad egrediendum, aditum darent, & aperte fateri, ſe pares eidem ferendæ non eſſe! quot ego patres familias vidi, natu grandes, cum auditum eſſet, illum quopiam cantatum prodiiſſe, ſtatim, ex ultimis Vrbis regionibus, domibus relictis, re familiari neglecta, corruptis itineribus cœno, tempeſtate perfrigida, imbribus maximis, accurrere, loca in ſubſelliis occupare, ac multas horas, expectando, conterere! quot etiam aſpexi, quos, locis omnibus obſeſſis, negociorum neceſſitas ſerius illuc impulerat, in confertiſſima multitudine ſtantes, premi, impelli, & hac illac, tanquam fluctibus, agi, neque his tamen incommodis deterreri, quo minus eum, cujus cauſa venerant, audirent! atque iſti ipſi, qui ſerius illuc acceſſerant, cum diſcederent, non tam querebantur, ſe pene fuiſſe in turba colliſos, quam illum dolebant, cupiditate ipſorum celerius, finem canendi feciſſe; ſe enim, nequaquam fuiſſe ſatiatos, ſed avidiores, quam attulerant, aures domum referre. alii multa matri illius bona dicebant, quæ ſua fœcunditate, Angelum magis quam hominem, peperiſſet. alii commune rerum humanarum fatum deplorabant, quod illum, ob excellentem vocis ſuavi-

ſuavitatem, & incredibilem canendi artem, omnino mori non debere, ajebant. alii affirmare non dubitabant, cæli beatiſſimas mentes, ſi eas canere humana voce contingeret, non alia voce nec aliis modis uſuras, niſi illius. Dixi paulo ante, videri eum dignum, qui mori non debeat: ſed, quoniam nemini, in tam exiguo vitæ ſpacio, immortalitas poteſt accidere, ſaltem optandum eſt, ut Xenophili muſici ætas illi contingat; qui, nullo valetudinis damno, centum & ſeptem complevit annos. vel potius, quoniam, in ejus ſuaviſſima voce, tot animi reficiuntur, tot curæ abiguntur, tot aures conquieſcunt; videtur petendum à ſuperis, ut ejus felicitatis compotem eum faciant, quam Luceiæ mimæ largitos eſſe, auctor eſt Plinius; cujus vocis præſtantiſſimæ ea fuiſſe perennitas traditur, ut, centum annos in ſcena pronunciaverit. Nam illud jam aſſecutus videtur, ut vetus de Tellene muſico, omnium maximo, proverbium in ipſum tranſierit. non enim, ut antea, cum aliquem ad recte canendum hortabamur, dicimus, *Cane ea, quæ ſunt Tellenis*; ſed, *Cane ea, quæ ſunt Loreti; quoniam ſunt optima.* Tam conſtans eſt omnium opinio, fuiſſe Tellenem ab eo ſuperatum.

LXIX. FORTVNATVLVS LVRCO.

LVbet hic narratiuncvlam apponere, habitam, feriis Bacchanalibus, ad Academicos Humoriſtas, quæ cum mores illius, qui in ea continetur, exponat, imaginis cujuſdam inſtar poteſt habere.

Multa ſæpe homini in vita contingunt, ſive bona ſive mala, quæ ille non cogitavit. Vel illud, quod dicturi ſumus, quis unquam crederet potuiſſe accidere? ſcilicet, ut quiſquam, domo, negocii cauſa, egreſſus, quatridui viam, ſine ullo ſuo ſumtu, conficeret, &, quod admirabilius videatur, magna ex parte ad caupones diverteret? Sentio, vos vehementer mirari; ſcio, me rem incredibilem polliceri. nam, qua inſolentia avaritiaque hic ordo ſit, indicant leges ſeveriſſimæ, in caupones & ſtabularios ſcriptæ, quibus, graviſſimis propoſitis pœnis, eorum fraus & nequitia compeſcitur. attamen, res

ita

ita ſe habet, ut dicam. ejuſmodi enim caſus affuerunt, quibus eſt illis pulcre os ſublitum. Accipite igitur rem jucundam, & diguam veſtro cachinno. Sed, antea quam ad rem aggredior, explicandum eſt, quid hominis ſit hic, ad quem ea, quam ſumus dicturi, res attinet. Hic eſt, annos natus quinquaginta & plus eo, magnus, ventrioſus, obeſus, rubicundo ore, facetus, amœnus; quotidie menſam amicis complet; ſemper eſt in convivio magiſter, in commeſſationibus dominus, in compotationibus princeps; ubi in aliquod oppidum venit, mirandum in modum, (canem venaticum diceres,) odoratur in popinis omnia, & perveſtigat, num aliquid ſit in eis vini, ex palati ſui ſententia: quod ſi reperit, nefas putat eſſe inexpiabile, antea illinc pedem efferre, quam dolio illi, quod probaverit, omnem animam intertraxerit. præterea, homo eſt mulieroſus, &, tanquam Mimnermus alter, ſine Veneris voluptatibus nullam eſſe vitam exiſtimat. at nihil factum eſt propius, quam ut hæc illi voluptas peſſime infeliciterque ſuccederet. nam cum, feſtis Bacchanalibus, ſtatuiſſet, multo quam antea effuſius in venerem ruere, in eoque luto altius hærere, aromatarium quendam adiit, quem acceperat medicatam quandam aquam habere, quæ non ſolum deficientem libidinem excitaret, verum etiam ab inferis, mortuam, revocaret; ac quatuor ejus cyathos ab illo coëmit. ſed ſatis ſuperque unus fuiſſet: etenim nonnihil cantharidum habebat admiſtum; quæ cantharides quantam ad urendum, exulcerandum, atque etiam enecandum, vim habeant, nemo eſt plane qui neſciat. at ille nondum vim earum fuerat expertus. redit igitur alacris, ac mulierem quandam in ſua vicinia, quæ corpore corpus alebat, domum ſuam invitat, ut ea ſecum nocte concumberet. illa conditionem accipit, ac ſe venturam conſtituit. adeſt nox, venit mulier; cœnant. Sed, antequam ſe lecto commendent, Eſt mihi, inquit ille, potio, quæ, epota, vires augeat atque confirmet. mulier, quæ non minus præceps in ſcelus ferretur, quam ille, Da mihi, inquit, hanc potionem; volo enim, gigantis non minus vires habere. ille ſtatim amphoram aquæ profert, ac dimidium ejus præbet mulieri, reliquum ipſe totum exhaurit. tum eunt cubi-

bitum ; ac tantam denique vim incendii intus in viſceribus æſtuare ſentiunt, ut, cum ferre non poſſent, primo mane, ſe è lecto in terram ejecerint, ac ſingula ſinguli ahena corripuerint, gelida aqua impleverint, in eamque nates demiſerint. ſed, tanquam ſi non in aqua frigida ſedentes, ab æſtu relevarentur, ſed in Phalaridis tauro incluſi eſſent, plorabant, clamabant, ſe uri, inflammari, incendi. accerſitur medicus; adeſt. qui, ubi eos videt, ita demerſos in aqua, cachinnos extulit; rogat, quid ſit. cumque de potione illa, quam ebiberant, audiſſet, multo eſt majores in riſus effuſus. Sed tandem, quo miſeris auxilio eſſet, juſſit refrigerantia quædam, clyſteris ope, in viſcera utriſq; infundi. Hic igitur, quem deformavi, habebat neſcio quid negocii in oppidulo, ab eo, ubi ipſe habitabat, quatridui fere via ſejuncto. commode ergo, atque ex itineris ratione, viaticatus, equum conſcendit, viæque ſe tradit. noctu, venit in quoddam caſtrum & ad cauponem divertit. erat ejus caſtri dominus, Comes quidam ſævus, acer, iracundus, impotens animi; qui primum, caverat edicto, tum, ſigillatim cauponibus præceperat, ne quemquam tecto reciperent, prius quam coram ſibi ſtitiſſent. Caupo, qui exiſtimaret hominem hunc liberalem, & quia de via feſſum aſpiceret, noluit, ea inſuper moleſtia afficere, ut ad dominum mitteret; ſed plena ac pingui cœna refectum, ſtatim in lecto collocavit. tum ipſe Dominum adiit, atque, apud ſe hoſpitem eſſe, narravit. at ille, ſtomacho & iracundia, ſupra quam dici poſt, elatus, Itane, inquit, imperio meo præſto es, furcifer? Et, qua erat animi impotentia, nihil propius eſt factum, quam, ut illi miſero fuſtem in tergore frangeret, aut pugnis in ore ſementem efficeret. &, Niſi mihi, inquit, exhibeas tuum iſtum hoſpitem, tam delicatum, tam nobilem, excludito mihi oculum, ſi non mactabo te atque illum infortunio. Caupo, domum reverſus, hoſpitem, altiori ſomno oppreſſum, atque ſtertentem, offendit; impellit, excitat; atque, Tibi dominus adeundus eſt, ait, ille, ſomni plenus, Ne mihi moleſtus ſis, inquit; ſine, dormiam. ac redormire protinus cœpit. caupo inſtat, urget, impellit; excitatum admonet, ut ſurgat. tandem

dem ille ægre à ſomno diſtractus, ſarcinas ſuas poſcit, & cauponi atque domino mala multa ingerens, ad Comitem venit. qui Comes, triſti ac ſevera fronte, Cur, inquit, ô hoſpes, ex edicto meo, ſimul ut pedem in oppidum intro tuliſti, non recte ad me ibas? Quia, reſpondit, non putavi, mei ſimiles ea lege poſſe conſtringi. At neſciebat, quem ipſe crabronem irritaret. nam, hoc reſponſo, vehementer Comes offenſus, Scis, inquit, quanti te ac tui ſimiles facio? quanti eam, quæ mihi latrinam lavat: ac niſi te ex hoc oppido, avibus atque auris ocius, ejeceris, faciam, ut hujus diei locique, meique, tibi immortalis ac ſempiterna ſit meminiſſe memoria. Ille, qui Comiti repugnare non auderet, neſcio quid ſecum muſſitans, abiit, atque extra oppidum, ut potuit, ſub quadam quercu, nocte illa quievit. Poſtridie mane, cum profectionem ornaret, ecce tibi duo, qui Comitem ajunt opere eum maximo evocare; velle enim ſe eidem ſatisfacere de eo, quod proxima ſuperiore nocte nimis in eum acriter violenterque dixiſſet. Ille negare venire, nec Comitem flocci facere. Sed tandem, multis precibus exoratus, ſe eſt paſſus adduci. Quem ut hoſpes aſpexit, in ejus collum irruens, excuſavit, quod iracundia ſumma eſſet; ac, ſe nolle, ait, dictum, quod dixiſſet. eadem opera jentaculum juſſit afferri; quo ille mirabiliter recreatus, multis magniſque Comiti gratiis actis, repente evolavit è conſpectu Comitis, cauponis, & caſtri; neque quiſquam, ob cœnam, vel hoſpitium, plus illi moleſtus fuit, quam ſi nunquam illuc veniſſet. Verum, metuens, quod vix poterat credere, ut immunis abiret, retorquebat ſæpe oculos ad illud oppidulum, &, quidquid obſtreperet, vocem cauponum, ſe revocantium, eſſe credebat. Sed, quemadmodum, malis initiis orta, deteriores fere ſemper exitus ſolent habere: ita etiam, bene cœptis, proſpere feliciterque cuncta ſuccedunt. neque, uti temere fortuna incipit bene vel male mortalibus facere, ita temere deſinit, ſed ludum utrumque pertinaciter ludit. Itaque fortunatus iſte non habebit neceſſe, ſumtus faciendi gratia, marſupium exenterare; ſed gratis altera ſibi advenienti cœna præbebitur. nam veſpere aliud oppidum ingreſſus, more ſuo

in

in hoſpitium ad cauponem divertit, cœnat, decumbit. poſtridie mane, ſurgit, cauponem vocat, rogat ut rationem conficiat, quidque ſibi pro cœna, quam comederat, debeatur, enunciet; ſeque ad profectionem comparat. Sed interea dum caupo adeſt, dum ratio initur, dum equus ornatur, compotatores quidam, qui probe madulſam habebant, inter ſe de nugis rixari cœperunt; res à verbis ad pugnam & ad manus venit. caupo, exanimatus, rationes conficere, quas inire cœperat, deſinit; nullum de cœna verbum amplius facit; ſed, hoſpitis genibus advolutus, orat eum, obſecrat, ut ſe in illorum controverſias interponat, pugnam dirimat, ſibique ſubveniat: nam, Si quæ cædes, inquit, hic fiat, numquidnam dubitas, quin perpetuo perierim? edicta ſunt acerba, prætor ſeverus, ego ſemper infelix. Quibus ille precibus motus, ibat, ut cauponi operam daret. Sed repentinus lictorum concurſus duas res fecit illi compendii; nempe diremptionem pugnæ, inter ebrios commiſſæ, & ſolutionem cœnæ, quam obligurierat. nam, cum mallet ſibi cavere, quam cauponi, atque id ipſum metuens, quod ille, videlicet, ne raperetur in carcerem; equum conſcendens, ſe, quantum potuit, ex oppido illo proripuit. conquiſitus eſt poſtea in omnibus popinis, non tam propter cœnam, quam ob teſtimonium, quod ipſi Prætor, de ea pugna, denunciaverat. Sed ille jam fecerat, quod ſervus malus; nempe in pedes ſe dederat. Iurarem, bonam fortunam iter una cum eo feciſſe: nam tot illi commoda evenerunt, quot ne optare quidem ſibi quiſquam, nedum ſperare, ſine illa, auſus eſſet. Quid autem illi in caupona contigerit, in quam, ea quæ conſecuta nox eſt, divertit, accipite, ac, bonam fortunam cum illo fuiſſe, negate. Aberat hæc caupona ab oppido, quod petebat, millibus paſſuum circiter octo; in quam manipulus quidam furum, quidquid, ex proximis villis, ovorum, gallinarum, caponum, vini, ſuccidiarum, diripiebat, omne congerebat; ex quo facile fuit cauponi, eam homini, gutturi dedito, cœnam apponere, quæ maxime in illius ventris rem eſſet; adeo ut deliberaret, utrum aliquot ibi dies commoraretur, an ſtatim diſcederet. Etenim, ita lepide ac nitide

ſe fuiſſe acceptum, videbat, ut nunquam ſibi melius in vita fuiſſe fateretur. Sed, dum maxime in ſenatu cogitationum ſuarum ſententias exquirit, de improviſo nova res accidit, quæ ſenatum dimittere, ſibique ipſum metuere, atque inde ſeſe ſurripere cogeret, ubi comitia de capite ſuo fore non dubitabat; nimirum militum non paucorum adventus. hi erant latrunculi illi, quos diximus, qui ſe domum ex præda receperant, & undique cauponam armati obſederant. Si cor illi in pectore cœperit artem facere ludicram, quid me attinet dicere? in cogitatione veſtra relinquo: nam multo erit vobis major ad intelligendum, quam mihi ad enarrandum, facultas. Tum unus, qui, ex habitu, videbatur habere imperium in ceteros, Numquidnam, inquit, rei tibi cum iſtis eſt? qui, Nihil, reſpondit. cur igitur emiſſitios iſtos oculos hac illac circumferebas? Quia nimis, ait, pulcris armis præditos eos aſpiciebam. At ſcin' (excepit ille) quomodo ſe tibi res habeat? niſi te hinc properas ocius amovere, arbori alligatus, ſigni loco, iſtorum ſclopis, in quem colliment, exiſtes. at, Quo vis, ille, abeam, ait, ſi apud cauponem hunc habito? In malam rem, inquit lictorum explorator & emiſſarius. eademque opera, duobus validiſſimis latronibus imperat, ut illinc abſtractum, quo maxime ille velit, abripiant. qui non procul ab eo oppido eum ſtatuunt, cujus illud iter gratia ſuſceperat. ferebat ille quidem moleſte, ſe nimis celeriter fuiſſe ab ea ſagina depulſum: ſed longe impenſius gaudebat, ſuam ſibi crumenam adhuc ſalvam cum inteſtinis omnibus eſſe. Sed non poterat illi male eſſe, cui ſeſe comitem fortuna adjunxerat. Tuebatur ſe, eo oppido, notiſſimi hominis interfector, incredibili diligentia ac vigilantia: nam, ubi quiſquam in oppidum venerat, continuo hominem conveniebat, in ejus ſe amicitiam inſinuabat, magnoque artificio exſculpebat ex eo, quis eſſet, cujas, quo iret, quamobrem illuc veniſſet, an futurus eſſet ibi diutius: denique, ab hoc aditu patefacto, ad intima ejus cordis conſilia penetrabat. Is videt hunc peregrinum, robuſtum hominem, ac gladiatoria propemodum corporis firmitate, ſclopo & machæra probe munitum, & ſtatim, ſuſpicione offenſus

ſus inſidias ſibi ab illo parari putavit. quamobrem, conſilio cogitationum ſuarum advocato, non varie, ſed cunctis ſententiis, decernitur, niſi ad cavendum paratus eſſet, ſuo capiti infortunii baliſtam intendi. quamnam igitur rationem ut ab ipſo caveret, inivit? cum aliquandiu hæſiſſet, homo acutus excogitat, domum ſuam hominem invitare, & tantiſper, dum ille ibi negociaretur, aſſervare apud ſe, vinctum catenis atque compedibus: ſed quibusnam? num ligneis? minime. num ferreis? multo minus. at quibus? eſcariis, hoc eſt, apud menſam plenam, eum eſca atque potione vinctum habere. itaque non dimittit tempus, ſed ſimulata amicitia, hominem occupat prior: ſalutat, adveniſſe gaudet, domum ſuam invitat. Non fuit diu luctandum cum eo, ut oblatam ſibi occaſionem arriperet: nam ſtatim manus dedit, ac ſe victum eſſe confeſſus eſt: neque minori cum alacritate, nova ac certa ſpe cibi, tanquam funiculo aliquo capiſtratus, præeuntem illum ſectabatur, quam bos vel equus dominum, cum plenum ad præſepe, ut ibi eum vinciat, adducit. Omnino, quoad ille apud menſam meticuloſi illius roſtro deligatus eſt, hæc fuit ratio illi vivendi. interdiu, ſuo operam dabat negocio, noctu oſtenſum ad præſepe ſe recipiebat: & quamvis ſe obſervari ſentiret (neque enim erat tum ſtultus, ut, apud animum illius, metum pugnare, non intelligeret,) nimis tamen pulcros ludos, ex tam inepta hominis calliditate ſumebat. unum diſplicebat, quod opinione celerius ſua ad exitum negocia feſtinaſſent: voluiſſet enim hominem diutius exedere. quamobrem hoſpitem adiit, narrat, rebus ſuis, quarum gratia in oppidum illud venerat, à ſe rite confectis, nihil jam eſſe reliquum, niſi ut domum rediret ad ſuos: gratias agit, quod ſe tam liberaliter ex ſuis cibariis tractaſſet: operam illi ſuam pollicetur ac defert. Illico nova homini ſuſpicio inceſſit, propterea hunc à ſe abire, ut aliquo occultatus, ſe ex improviſo, ac de inſidiis, aggrederetur atque opprimeret. ac ſecum, Mox, ait, experiar, utrum vere hic abeat, an ſimulet ſe abire. & in eum intuens, Num te fugit, inquit, itinera omnia eſſe infeſta latronibus? ea igitur te lege dimittam, ſi

duos tecum, quos comites itineris dabo, venire ſuſtineas; qui tibi commeatum etiam omnem large præberi curabunt. Tum enimvero ridere ſecum ipſemet cœpit; ac, Scilicet id unum, inquit, deerat felicitati meæ, ut reditus profectioni ſimilis inveniretur. Sed videlicet ignorabat, bonam fortunam, qua illuc comitatus advenerat, re bene geſta, reverſionem, cum ipſo parare. itaqua, ne verbum quidem addendum putavit; verum, laudata hoſpitis in ſe benevolentia, Facerem tibi, inquit, injuriam, ſi tantum, à te mihi ultro oblatum, beneficium repudiarem, ſuſpectis præſertim itineribus. Quamobrem, ut præceptum erat, reductus eſt domum; atque eadem opera ipſe ſolutus eſt ſumtu, hoſpes ſuſpicione.

LXX. BALDVINVS TONSOR.

PRædicta narratiuncula, ad ſe aliam attraxit, in eadem Academia habitam, qua, vafra nebulonis cujuſdam ratio, ut ſe litium moleſtia liberaret, exponitur.

Magnam nonnullos ſapientiam, ſimulatione ſtultitiæ, texiſſe, proditum memoriæ ac literis eſt; idque propterea, ut commodum inde aliquod aucuparentur, vel paratum ſibi infortunium, à capitis ſui peſte, depellerent. Quis neſciat, (ut de ceteris taceam) Vlyſſem, ac L. Brutum, multum, temporibus ſuis, ſapientia præſtitiſſe? Et tamen eorum alter, liberali uxoris ſuæ conſuetudine devinctus, ne ſua cum aliis Græciæ Principibus, Trojam abeuntibus, arma conjungeret, cauſam non eundi, ex inſaniæ ſimulatione, quæſivit; alter vero, quo patriam dominatu regio liberaret, ſeque vitamque ſuam Tarquinii odio ſævitiæque ſurriperet, eam, quæ in ipſo erat, ſapientiam atque virtutem, ſtultitiæ integumentis obduxit. Similis fuit ratio, non multis ab hinc annis, Balduini cujuſdam tonſoris. nam, quo ſe litium quarundam moleſtiis eriperet, ad ſimulationem ſtultitiæ, ſe ipſe dolis effinxit. At facio injuriam Vlyſſi ac L. Bruto, clariſſimis viris, cum de Balduino tonſore ſubjicio: ſed malo, eos mihi habere iratos, quam, tam doctum hominis plebeii dolum oblivioni non vindicare. neque illum iratum vereor, ſi reſcierit; immo maximas mihi gratias

gratias habeat, ac magno se honore affectum existimet, quod, cum duobus, omnis fere memoriæ clarissimis viris, comparetur. Ac propter eos, qui illum non noverunt; hic est, ventriosus quidam, obesus, capito, qui tonstrinam Romæ satis celebrem habet. & sane, homo est voluptarius, iracundus, cerebrosus, magnæ escæ, sed longe majoris vini; omnes, quotquot sunt Romæ cauponias, & cauponum nomina, memoriter nominat; tum, quidquid in unaquaque cella vinaria est vini, seu albi seu atri, seu lenis seu asperi, novit: quas alii emunt curas ac negocia, ille odit, atque abhorret: sed in primis, est fugitans litium: vineam, extra portam Collinam, possidet, quæ agri fertilitate, regionis amœnitate, cœli salubritate, cum nulli aliarum villarum cedat, fit, ut de ea veterator quidam, qui oculos ad eam adjecerat, litem intendat, & hominem quietissimum, quam tumultuosissime adoriatur. Homo callidus cœpit excogitare, quemadmodum eam à se molestiam amoveret, & in alium transferret. ac statim venit ipsi in mentem alter tonsor, Vlyssi nomine, qui Ghitam, sororem suam, habet in matrimonio: hic sibi videtur incus idonea, supra quam suas fallacias cudat. ergo, sub initium Quadragesimæ, cœpit repente, abrepto gladio, insectari omnes domi, aliena loqui, clamare. hic omnes accurrere, retinere, mirari, derepente eum esse à mente depulsum, qui paulo ante valuisset. accersitur Vlysses; advolat. ubi Vlyssem videt, tanto magis simulat insanire. itaque os sibi distorquere, spumas agere, tectum ascendere, quasi præcipitare se vellet, &, tanquam imaginibus falleretur, dicere, Corripite direptores meæ vineæ, retinete, discerpite, interficite latrones; ubinam est Vlysses meus, qui mihi opem ferat? Tum ille, En adsum, inquit. atque eum existimans, ob litium terrorem, in eam ægritudinem fuisse delapsum, objurgare leviter cœpit, ac polliceri, ad ejus defensionem, operam suam. Balduinus, quasi tum primum Vlyssem aspiceret, O mi Vlysses, inquit, tune hic eras? mihi igitur auxiliare, audaciæ istorum occurre; tuum negocium agis, cum mihi operam præstas; siquidem isthæc ad te vinea, una cum ceteris bonis, morte mea redibit. ut ego perierim,

vides ; vix bidui vel tridui mihi reliquum eſt vitæ. Vlyſſes, plura eum loqui, non eſt paſſus; ſed, in lecto collocatum, remotis arbitris, oravit, ut paululum quietis acciperet. Nemo invitus audit, cum ſpes hereditatis ſibi proponitur. quamobrem Vlyſſes, ab hoc vento abreptus, ridicule ab eodem, eſt paſſus, ſe hac illac impelli ; & id ſecum habere rationis cœpit : Miſer hic, quantum video, prorſus interiit ; nam, ut deliramenta ejus audio, quidquid hellebori mittunt Anticyræ, huic ægro mentem, quæ aufugit, revocare non poteſt ; nullus eſt illi filius, quem patri, ſi inteſtatus ſit mortuus, eſſe heredem oporteat ; ad ſororem igitur ſuam, uxorem meam, lege, bona ejus omnia pervenient ; nonne magis ipſo inſaniam, ſi tam bonam vineam non omnibus copiis defendam ? Quamobrem, omiſſis ceteris curis, cœpit id unum agere, ipſe advocatos adducere, circum patronos curſare, judices adire, doçere, ad diem, atque adeo ad horam præſto eſſe, cum adverſario concertare, operæ atque labori non parcere. quid verbis opus eſt ? tanquam ſi Balduinus diem ſuum obiiſſet, ipſeque in poſſeſſionem vineæ veniſſet, pro herede ſe gerere ; de paſtinando, ſerendo, ædificando cogitare ; vineam inter filios partiri, ſic dicens ; Ea pars, quam ſalices directo ordine definiunt, in qua eſt puteus, Septimillæ meæ, doti dicetur ; ea autem, quæ ad viam publicam pertinet, quæque arundinetum habet adjunctum, Momo, filio itidem meo, aſſignabitur ; ita tamen ut Momus, per ſororis fundum, hauſtum habeat, ſoror ex fratris arundineto pedamenta ſumat, ad vineam. Sed, ut ad Balduinum revertar, cum ea ſimulatio inſaniæ feliciter ſub manus ſuccederet, unus adhuc ſcrupulus reſidebat, quemadmodum de tonſtrina ſe gereret ; etenim, negocium illud deſeri, unde tantos quæſtus feciſſet, unde ſe & familiam aleret, è re ſua non eſſe ; nimis enim magno cum damno deſipuiſſet, ac jure mittendus fuiſſet Anticyras, ſi diſſolutus, in re tanta, fuiſſet. quare, ſimulata paulum mente, ſic Vlyſſem mœſtus alloquitur, Mi Vlyſſes, quo loco meæ res ſint, vides ; & ſane, cælum ruere, & naturam interire, mea quidem nihil refert ; ſed, meus in te amor, me, quamvis oblitum mei, tui tuorum-

morumque immemorem esse non patitur : quantum detrimenti, ex hac mea invaletudine, tonstrina factura sit, non te fugit; quocirca, è re tua esse arbitror, ut ea probo cuiquam viro & fideli, quam optima condicione possit, locetur. Vlysses, id se curaturum esse, respondit, simulque daturum operam, ut pecunia suas in manus veniret. neque dicto fides abfuit : nam paulo post Ballioni cuidam locata est. Balduinus, hac cura liberatus, ocioſus ab animo, insaniæ operam dabat. ac primo illo insaniæ simulatæ tempore, cœperat se violentius agere, alios adoriri, velle sibi manus afferre, se præcipitem agere, eaque fingere, quæ furentium sunt maxime : sed postea consilium displicuit, has secum rationes deputanti, Si perpetuo uti hoc impetu velim, primum, ad languorem defatigabor; tum, metuo, ne mea, de medicorum sententia, audacia, tenebris, vinculis, verberibusque coërceatur; quare nihil est à rationibus meis alienius, qui nihil nisi ocium quæro, atque ansam, qua cuculum istum eludam, quem tam avide bonis meis inhiantem aspicio. Quamobrem decrevit, tantum intra verba desipere, atque aliquid etiam leviter manu peccare, ut, patinas in terram abjicere, vel, visa muliere pulcra, in ejus amplexus irruere, atque alia his similia conari. Initio simulatę ægritudinis, virginis cujusdam operas conduxerat, quæ, ne æger umbris & imaginibus vanis perterreretur, neve, ex insania, manu aliquid violenter faceret, una semper cum illo erat, cœnabat, propter dormiebat. At improbus, ubi videt hanc forma non mala, primo suis eam nugis aggreditur; illa timere, seque è conspectu proripere, tum leviter repugnare, postremo deditionem facere. Sed quia Balduinus erat legitimæ prolis, supra quam dici potest, cupidus, antea quam quidquam sibi cum ea esset, clam eam secum matrimonio junxit, postea gravidam fecit. Vlysses, inscius harum rerum ignarusque omnium, quo arctius affinis sibi animum officiis beneficiisque constringeret, primo mane surgere, fora omnia circumire, aves, pisces, coëmere, Balduino apponere. ille, esse, patinas detergere, Vlyssem obsonatorem optimum esse, dicere. Sed fiebat interdum, ut non semper Vlysses in tot nummis esset, quot sunt ad

emendos turdos, ficedulas, & capones, ſatis; unde cogebatur, eidem vervecinam, vel bubulam carnem, apponere, ac pro Græco, Romanum vinum inferre. cum id contingeret, tum enimvero illum furere & inſanire dixiſſes; clamare, Vlyſſem ſuum hoſtem dicere; vicinos, populares, ut ſibi ſubvenirent, orare. Vlyſſes, qui jam ſpe & cogitatione ſua vineam illam devoraſſet, verens ne, ſi affinis ſuus eſuriret, tantus ſibi bolus eriperetur è faucibus, ad proximam cauponiam accurrere, aves coctas, & exotica vina, mercari, æs alienum conflare, ſumtui finem non facere. Ille quieſcere, Vlyſſem virum bonum eſſe dicere, eumque exedere. Iam, apud judices, agitata lis erat, qui, tum jure, tum Balduini miſericordia adducti, ſecundum illum ſententiam dixerant. Reſtabat, ut Balduinus, ex ſuo dicto promiſſoque, diem obiret extremum, cum ancillæ venter, qui celari non poterat, jam pulcre plenus, Vlyſſi venit ad oculos. qui admirans, Hem, Balduine, inquit, numne ſolent inſani ita inhoneſte virgines ludere? cui Balduinus, Sic agitur, ait; quid ad te ea res pertinet? mea eſt uxor; parocho ac teſtibus præſentibus eam duxi; atque hoc quidem haud pro inſano feci. Vlyſſes, re inopinata percuſſus, ac de ſpe omni dejectus, obmutuit, nec potuit proloqui unum verbum, vel ineptum ſaltem. At Balduinus, Quid eſt, ait, quod conturbatum te video? numne animum ad mulierem, quemadmodum ad hereditatem meam, adjeceras? Hic, Vlyſſes dolorem ſuum amplius diſſimulare non potuit; atque, Itane, peſſime, inquit, me ludos feciſti? itane tibi idoneus viſus ſum, quem dolis falleres? ideone mortem exoptabas, ut non modo viveres, ſed etiam improbiorem aliquem, nequioremque te, gigneres? lurco, nebulo, veterator, impurus: utinam fuiſſent tibi cœnæ Thyeſtæ & Terei, turdi atque aves illæ, quæ mea pecunia comparatæ tibi advolarunt in ventrem: ut illud poſthac edas quod te perdat, *illud* bibas quod nunquam tranſeat. Cui Balduinus, Hominem, ait, impurum & execrabilem vide; qui non ſolum morti & fortunis meis inhiat, quaſi lupus eſuriens, ſed ultro contumeliis oneratum me advenit: abiſis hinc, in ganeum, quantum poteſt; nam, ſi pergis moleſtus eſſe,

esse, vel si huc intro posthac pedem tuleris, tibi pugnis os exossabo. neque quidquam propius est factum, quam, itidem ut murena, manibus coci, ossibus exuitur, Vlysses os, pugnis comminutum, à Balduino referret. Sed ille, ne ad damnum, dedecus etiam accederet, iram continuit, seque inde proripuit, frustra querens, à Balduino se fuisse deceptum. Dixi antea, si recte meministis, Balduinum, quo cautius insanire posset, tonstrinam Ballioni locasse: hic restabat ejiciendus. & primo, humaniter hominem Balduinus appellat, oratque, ut aliam sibi tonstrinam inveniat. cui Ballio, Quid ais? inquit; an ignoras, eam mihi fuisse locatam? in medio sunt tabulæ locationis; aspice. Næ, tu homo es ridiculus, respondit Balduinus, qui istas speres tabulas præsidio tibi futuras; an nescis, quidquid in insania gestum est, solere à prætore restitui. At ego probabo, inquit ille, tibi lucida fuisse intervalla, cum locabas. At ego, respondit Balduinus, tum te præsertim insaniam percepisse ostendam, cum me tonstrina ejiciebas. Quid igitur agam? ait ille. Ego dicam, excepit Balduinus, abi & suspende te. Tum iratus Ballio, Sycophanta, inquit. At tu, clamat Balduinus, vel comprime linguam istam, vel si pergis male loqui, novacula hac, quam in manibus habeo, venas tibi præcido. Voluit deinde Ballio experiri, judicioque rem persequi; sed omnem operam perdidit. nam, judices, subveniendum esse insaniæ, censuerunt. ipse autem alio abire est coactus. Quare Balduinus vineam, uxorem, & tonstrinam, sine controversia possedit,

INDEX IMAGINVM

in Pinacotheca hac altera.

ADrianus Politus. 57.
Alexander Card. Vrſinus. 9.
Alexander Magius. 63.
Angelus Raparius. 28.
Antonius Maraffa. 45.
Antonius Maria de Gratianis. 62.
Archita Epiſtamenus. 42.
Aſcanius Columna. 48.
Attilius Amaltheus. 8.
Auguſtinus Barboſa. 18.
Auguſtinus Pallavicinus. 46.
Auguſtus Pacinellus. 29.
Aurelius Chiſius. 67.

BAlduinus de Montc. 41.
Balduinus Tonſor. 70.
Beliſarius Bulgarinus. 21.
Benedictus Florettus. 31.
Bonifacius Vennozzius. 64.

CElſus Cittadinus. 58.
Clemens Merlinus. 59.
Cynthius Lucarinus. 30.

FAbius Sergardius. 37.
Flaminius Cerafola. 56.
Fortunatulus Lurco. 69.
Fortunatus Scacchus. 65.
Franciſcus Actariſius. 25.
Franciſcus Alciatus. 47.
Franciſcus Arcudius. 23.
Franciſcus Balduinus. 4.
Franciſcus Bencius. 50.
Franciſcus Conzaga. 66.

Fran-

10070617

INDEX IMAGINVM.

Franciſcus Rogerius. 35.
Franciſcus Ventura. 6.

Gabriel Pennottus. 55.
Gerardus Saracenus. 16.
Gerardus Voſſius. 39.
Gregorius de Valentia. 1.
Guido Bentivolus. 10.

Hieronymus Brunellus. 52.
Hieronymus Lampugnanus. 38.
Horatius Turſellinus. 51.

Ioannes Baptiſta Bartolus. 22.
Ioan. Bapt. Raimundus. 7.
Ioan. Bapt. Strozza. 2.
Ioan. Ciampolus. 19.
Ioan. Dominicus Ciajeſius. 33.
Ioan. Dominicus Perus. 27.
Ioan. Honorius Axelius. 44.
Ioan. Petrus Maffejus. 14.
Ioan. Renaldinius. 12.
Ioan. Stephanus Syrus. 61.
Iulius Cæſar Bottifangæ. 17.
Iulius Mancinus. 24.
Iulius Roſcius Hortinus. 3.
Iulius Sanſedonius. 53.

Lælius Guidiccionus. 40.
Lælius Marella. 26.
Lepidus Piccolomineus. 36.
Loretus Victorius. 68.

Maphæus Barberinus. 49.
Marcus Antonius Petolius. 13.
Marius Alterius. 5.
Mutius Vitelleſcus. 60.

Petrus Strozza. 15.
Pompejus Rogerius. 32.

Romulus

10070617

INDEX IMAGINVM.

ROmulus Paradiſus. 54.

SCipio Conzaga. 11.
Sebaſtianus Perettarius. 34.

THeodorus Porta. 20.

VIncentius Pilota. 43.